This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


612.3
P 99 c

LIBELLVS
DE NVTRITIONE
HVMANI CORPORIS,
IN RE MEDICA,
Summa breuitate;

ac Methodo conſcriptus.

CALISTO PROCACCINO
DE MONTE S. VITO,
Philoſopho, ac Medico Auctore.



ROMAE, Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. M. D. LXXXVII.

MARCOS
FRANCISCO VIÑAS
MATRITI

ILL.MO ET REV.MO

IO. VINCENTIO GONZAGHAE

Cardinali amplißimo.

CALISTVS PROCACCINVS

S. D.

VANTVS ſit modus in Rebus, & quantus in agendis ordo Illuſtriſsime PRINCEPS, Præter multa, quæ hoc teſtari poſſunt, indicant (inter cætera) cœli conuerſiones, quæ quum regulari cur-

ſuperficiantur, ſublunaria hæc omnia tum ordinatè producunt, tum producta conſeruant. Proinde cernimus alia Mari, alia Terra gigni: alia vere alia Æſtate: & omnino ſuo quæque tempori conſimilia oriri. Contra verò vbi nullus percipitur ordo, ibi maxima confuſio apparet, ob quam tãdem magnæ Res dilabuntur, & quæ maximo artificio condita ſunt, in preceps ruunt. Horum mihi teſtis eſſe poteſt Caij Cæſaris villa, quæ olim maximo ſumptu ferè pœni-

tus

tus abſoluta, abſque ordine tamen conſtructa, tota diruta fuit. Fateatur itidem cuncta hæc miſerrimus ille miles, qui pugnam, aliquam ingreſſus, clypeoque minimè armatus, quo ſe ab inimicorum ſpiculis defendere valeat, victus demum ſuccumbit. Ne mihi igitur contingat quod His accidere ſolet, in rebus meis ordinem exquiro. Quocirca in omnibus tum dictis, tum factis ego te mei clypeum, te fautorem, ac Patronum eligo, cuius ope, atque authoritate ſalvus at

voluntati meæ, idque item obtineam quod opto. His rationibus commotus, pro certo habeo Amplitudinẽ tuã, me, measque res tueri & velle & posse: ſperaturus, propter illam quam in ipſa ſemper ſingularem benignitatẽ, obſeruantiam, & charitatem perſpexi (quæ me, nec inter domeſticos tuos ſuſcipere dedignata eſt) me nũquàm pariter deſerturam. Hoc itaque meum opuſculum, libellum ſcilicet de Nutritione Humani corporis, quum edere in lucem inſtituerim, ſub

tuo nomine, ſub tuiſque fe-
licibus auſpicijs id facere
decreui, vti eius tutela, ac
patrocinio, poſsim illorum
inſidias euitare, qui gloriã
ſibi maximam comparare,
autumant dum aliorum ge
ſta deprauare nituntur: qui
nulla ratione ducti, ſed feri
na duntaxat prauitate cõ-
pulſi (more rabidorum ca-
num) virulenta eorum ſpu
ma, aliena ſcripta conſpur-
care conantur, ipſumque
paruulum tua authoritate
extollas, & ignobilem tua no
bilitate illuſtres. Quamob-

rem oro te ANTISTES OPT. vt hoc libenter, hilari que vultu fieri permittas, quò me ad maiora impellas. Quod te facturum spero cõfisus (nõ spreta muneris paruitate) dictis illis Artaxerxis Persarum Regis asserentis tam magni animi esse parua libenter accipere, quã magna tribuere. Vale Romæ salutis nostræ. 1586. 1587.

CANDIDO

ET STVDIOSO

LECTORI.

VVM ipse mecum animo cogitarē de Nutritione Humani Corporis agere velle: duo præcipue offendi, quæ me magnopere deterruerunt; quorum alterum fuit Rei difficultas; alterum quòd plerique scriptores, ijque celeberrimi de hac materia scripserunt. Difficilem Rem ipsam esse, nemo sanę mentis negabit, immò Quisque difficillimam fatebitur. Et Aristoteles, pariter ac Galenus, necnon Auicenas de Nutritione tractarunt. Fuerunt & Alij, inter

inter quos ex Neotericis satis doctè, satisque fusè Fernelius sermonem habuit. Nihilominus nos ipsi quoque dubijs hisce soluti, duximus non inutile fore de hac Re verba facere; quum multa ab his sparsim posita ad ordinem redegimus, & qua potuimus methodo, ac breuitate perstrinximus; ne qui Tractatum nostrum perlegerent, tædio affecti in nauseam inciderent, sed totum celerrime percurrere possent; in quo si quid boni erit, facilius apprehendere valeant. Licet. n. Rem hanc exactè a nobis tractatam fuisse non credimus, speramus tamen nos his paucis scriptis magno documento ijs futuros, qui grauius, atque subtilius de Nutritione scribere in animo habeant.

ALE-

ALEXANDRI Butrij DISTICON

Corporea tractat de Nutritione Libellus
At mentem magna nutritione nutrit.

LAVRENTII RAINALDI, IN Libellum de Nutritione.

EPIGRAMMA.

Exiguus (cartbas numeres si docte) libel-
Nullus (si vires) hoc tibi maior erit. (lus,
Littera põdus habẽs auri, nõ pagina flocci
Spectetur: miro dogmate cuncta leges;
Nã docet arte noua Caliſtus corporis ar-
Quos, quid, cur, quãdo nutriat, atq; modũ

Caliſti Procaccini de Monte ſancto Vito Philoſophi, ac Medici.

LIBELLVS

De nutritione humani corporis in re Medica. Cap. I.

PRAETER omnium ſimpliciſsima naturæ primordia, materiam primam, videlicet, ac primã formam: necnõ prę- ter quatuor elemen ta. Ex quibus corpora perfectè mixta conſtituuntur: inſunt humano corpo- ri principia propria (teſte Galeno) ſpi- ritus, ſang. & ſeminalis humiditas, ex quibus ſui primigenia ſubſtantia confla

Ariſt. 1. Phyſ. tex. 65.

Ariſt. 3. Cæli 36.

Hipp. & Gal. in lib. de natu ra Hum.

Gal lib. de ele ment. Auic. prima, primi cap. de elemen tis.

A tur

tur: Ista enim quamdiu perdurat, tandiu etiam conseruatur humanum corpus. Cæterum, quoniam huiuscemodi corpus vndique perspirabile est; itēque dissipatu facilis existit substantia illa, dissoluiturque continue: ob id ipsum perpetuare non potest. Quocirca natura sagax, quæ corperi nostro (ceu inquit Galenus) summa diligentia prospicit, quærens pro viribus suis diuturnioꝛem singularium conseruationem, quū eadem singularia in perpetuum ducere minime valeat: īstituit opus quoddam, illudquè celeberrimum, quod ab omnibus nutrio nuncupatur; cuius ope, modo quodam resoluti restauratio fiat. Cō probat hoc totum auctoritas illa Galeni in primo de sanit. tuenda libro, capit. secundo sub finem ad verbum deducta dicentis. Nam quum tota moles animalium in perpetuò fluore sit, ni similis altera substantia, pro ea quæ defluxit, restituta sit, euaporabitur certè, atque dissipabitur vniuersum corpus. Quo factū arbitror, vt natura non animalibus modo, verumetiam stirpibus insitas quasdam vires deficientis, ac desiderati appetentes ab initio statim dederit. Cibo igi-

Primo Aph. 16. primo de sanit. tuē. c. 1.

Hipp. in lib. de aliment.

Gal. 1. de sanit. tuen. c. 12. ad Trasib. 20

De trem. palpit. 1. de loc. affect. c. 7.

Secūdo de. diebus decret. c. 2

Gal. 1. de loc. affect. c. 7.

Idem 6. lib. ca pit. 1.

igitur, & potu quicquid ſiccioris humidiorisue ſubſtãtiæ effluxit, reſtituimus. De nutritione igitur nobis pertractãdũ eſt. Verum antequam de nutritione loquamur nos videre oportet, quotuplex ea ſit: quũ id quod multiplex eſt, (Ariſtotelis ſententia) prius diſtinguendum ſit, quam de eo quidquam determinandum, ne ſit ambiguum id quod quærimus, ſed citra laborem intelligatur. Bifariam dici nutritionem reperio: aliam impropriam, quæ materiæ quadam extrinſecus adhæſione, ſucceſſioneue cõficitur: cuiuſmodi eſt capillorum nutritio, & lapidum in terræ viſceribus exiſtentium, qui non alimento, ſed materia quadam vice alimenti nutriuntur: aliam dici veram, ac propriam nutritionem, in qua alimentarẽ materiam omnem ſubſtantiam intro ſubire dicimus. De hac nunc habendus eſt ſermo; ab rei eſſentia exordium ſumẽdo; ab ipſius nẽpe definitione, ad quam quidem inueſtigandam ſi prolixiores erimus, nemini tamen nos mirari ſubeat; eſt nãque circa ipſam aliquantiſper inſiſtẽdum à nobis. Siquidem nullus ſit (quod ſciam) qui eam hactenus ordine conſcripſerit;

Primo Ellench.

Ariſt. 2. de anima tex. 37. 46.

Ariſt. 2. de anima, 14.

Etſi crediderint omnes, qui nutritionis definitionẽ tradiderunt, eam adeo exactè, abſolutèque ſcripſiſſe; vt ne quidquam meritò verbis illorum addi, minuiuè poſsit. Nihilominus, ſi quis rem intimius aſpexerit, aliter, atque ipſi ſentiunt eſſe reperiet. Bipartiti enim ſunt, qui de nutritione tractarunt: alij namque Medici, alij Philoſophi extiterunt. Horum ſectatores hanc eſſe nutritionis definitionem, eamque ad ordinem redactam ſunt arbitrati. Nutritio, eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam alitis: quæ definitio, licet vera ſit, ac (vt Logiſtarũ verbis vtar) formaliter tradita, quia, & genus proximum, & differentias cõtinet nonnullas: tamen, nec finem includit, neque cauſam efficientem explicat. Quare, vt imperfectè collecta, ac diminuta, & ad inſtitutum noſtrum minime deducta, reijciatur à nobis. Qui Medicos inſequuntur, præcipueque Galenicam Theſim in primo Aphoriſmorum comentario ſupra decimumquintum Aphoriſmum, hoc pacto nutritionem finiri authumant. Nutritio, eſt deperditi. Reſtauratio. Iſthæc definitio videtur in ſe profectò finem aliquẽ in-

includere, qui per verbum, restauratio, propalatur, at quũ vlteriorem finem nõ complectatur, & veluti competens, etiam (his solis verbis) impropriẹ nutritioni, namque in lapidum, capillorumue nutritione deperditum dumtaxat recuperatur; acceptanda non est. Quoniam, vt Gal. asserit in quarto de differentijs puls. libro definitio, quæ totam rei essentiam est ob oculos positura nihil debet illorũ, quæ ei prẹcipua sunt, & propria maximè omittere: idem est apud Aristotelem, pariter, atque Auerroem 4. Phisic. tex. cõm. 31. & quarto Cæli, secũdo definitionum bonarũ proprium esse, quod per eas perfici debent omnia quæsita, quẹ necessaria sunt sciri in illa re apud perscrutationem. Nos itaque ex Aristotelis, & Galeni doctrinis sparsim definitionem hanc exactius, distinctiusque, cæteris, explorantes, atque ordinatim colligentes, hunc in modum dicamus. Nutritio est mutatio nutrimenti in substantiã nutribilis per nutribilis formam, intrinseca coctione, ob deperditũ restaurãdum, & indiuiduum conseruandum. Nostra est huiusmodi definitio, quæ ab Aristotele, Galenoque

Cap. 2.

deprompta, omne cauſarum genus in ſe continet: materialis nimirum, efficientis formalis, atque finalis. Quæ omnia vera eſſe cunctis legentibus patebũt, ſi ſingulas definitionis huiuſce partes examinando pro illarum comprobatione, nos cum Galeni, tum Ariſtotelis auctoritates in mediũ adduxerimus. Habet ſiquidem Ariſt. in ſecundo de Anima: alimentum inconcoctum contrariũ eſt, ac diſsimile: concoctum vero ſimile, ac idem; at illud opus, concoctum ſcilicet, citra mutatiouem fieri nequit; & qui fiat idem, mutatio exigitur pœnes ſubſtantiam; eoque verbum, idem, ſubſtantiam indicat: mutatio igitur, vt ſubſtantialis ſit in nutritione neceſſe eſt. Subdit dein Philoſophus hanc verborum ſeriem. Id quod nutritur eſt corpus, quod nutrit quidem eſt prima Anima; ex quibus liquido verbis colligitur nutritionem à forma eiusdem nutribilis confici. Quum alibi dicatur ab eo anima corporis actus. Mox inquit. Omne alimentum, neceſſarium eſt concoqui póſſe. Quæ quidem ſententia nil aliud ſignificat, atque nutritionem fieri intrinſeca præeunte cõcoctione. Galenus pariter, & ip-

Tex. 45.

Ariſt. 2. de anima tex. 47.

Secundo de anima, tex. 49.

Secundo de anima, tex. 6. Tex. 50.

& ipſe Aphoriſmo nobis antea prolato hæc ſcripta reliquit. Nutritio eſt ad deperditi reſtaurationem, ueluti nos quoque in noſtra definitione poſuimus. No uiſsimè, hæc Ariſtoteles dicta pronunciat. Quare huiuſmodi animæ princi- Tex. 47.
pium, potentiæ eſt talis, vt conſeruet, habens ipſam; at nos id addimus, quod anima conſeruare nequit, habẽs ipſam, ideſt corpus, nutritione ſecluſa. Vnde rectè concludere poſſumus hoc ad indiuidui conſeruationem eſſe cõſtitutum. Quapropter nos ritè diximus, quũ aſſeruimus nutritionem eſſe nutrimenti conuerſionem in ſubſtãtiam eius, quod alitur ab huius forma confectam, intrinſeca iam præcedẽte concoctione, ad reſtaurationem deperditi, & indiuiduum conſeruandum inſtitutam. Per verbum illud, mutatio, indicatur genus ipſum, quod veluti materia præſentem ingreditur definitionem. Per dictionem illam, Ab anima corporis forma, oſtendimus cauſam nutritionis efficientem. Per intrinſecam verò concoctionem vt diximus, explicantur eæ differentiæ, quæ in hac definitione, formalis cauſæ vicẽ gerunt, ponuntque diſcrimen inter pro-

priam, ac impropriam nutritionem, ſimulque mixtionem ipſam; namque impropria nutritio, ſola materiæ adhæſione, nulla intrinſecus coctione confecta perficitur. Itidem, & mixtio fit ab alteratorum dumtaxat miſcibilium confuſione, intrinſeca prorſus coctione remota. Per deperditum reſtaurandum, declaratus eſt proximus nutritionis finis, qui perfectas definitiones aſſeuerante. Auerroe viij. Metaph. ingredi ſolet. Tãdem, per verba poſtrema in definitione contenta, ſcilicet ob indiuiduum conſeruandum, vltimus innoteſcit finis; quem ſicut in alijs actionibus, ita, & in nutritione conſpicere licet. Sit igitur rata, cõſtans, atque perpetua huiuſcemodi definitio noſtra ex Ariſt. & Galeni ſcriptis manifeſtiſsimè deducta. Sequitur nunc, vt perpendamus quot modis deperditũ, quotue reſtauratum dicatur: & quo pacto nutritioſeor ſum exiſtat, quouè iungatur cum alijs.

Deper-

Deperditum, & reſtauratum quotuplex, & nutritio vbi ſola ſit. Cap. II.

DIXIMVS humanum corpus trāſpirabile ad modum eſſe, & ob id perpetuo quicquā ab eo diſsipari: Quo factū fuit, vt natura nutritionem excogitaſſet; qua de eo ſcilicet, quod amiſſerat, quoquo pacto redintegretur corpus. Quamobrem nacti ſumus occaſionem explicandi quotuplex ſit, id quod deperditur, quotuplex, què id quod nutritione reſtauratur. Deperditum ergo dupliciter contingere ſolet; primò nimirum, & ſecundo. Primo deperditum dicimus primigeniam illam ſubſtantiam. Secundo verò ſpiritum, ſang. & ſeminalem, quam dicunt humiditatem. Pari modo reſtauratum nutritione, primò eſt primigenia ſubſtantia. Secundo autem, & ex cō ſequenti (vt dicam) ſanguis, ſpiritus, & humiditas iam enarrata: Quandoquidem primaria intentione dirigatur nutritio ad primigeniam ſubſtantiam deperdi- *Gal. 1. Aph. 15.*

perditam recuperandam: sic stante nutritione oritur occasio restituēdi sanguinem, spiritus, & humiditatem, quæ fuerat è semine contracta: alioquin, si nutritio non esset, auferretur pœnitus huiusmodi occasio; immò nec unquā cibum caperemus. Cibo autem nulla alia de causa indigemus, nisi vt alamus corpus: id sentit Galenus, in de dinoscendis, necnō curādis animi morb. Libello, cap. 9. Pro quorum maiori confirmatione adducamus aliam Galeni auctoritatem, quę est. Porrò si permanens esset membrorum essentia, neque arterijs, neque venis indigerēt: verùm quia nutrimento egent, seruareque oportet inati caloris simetriam, hāc ob causam, & venis indigent, & arterijs. Quod est, ac si diceret: futurum alimentum gignitur in venis, & est sanguis; ex quo quidem spiritus fiunt, postea in arterijs, & calor; quem mitem, ac lenem esse oportet; ob id arteriæ constitutæ sunt, per quas sequitur spirituum, & innati caloris euentatio, ac eiusdem simetriæ cō seruatio; namque spiritus, innatus, calor, & influens, ijdem sunt diuersimodè tamen sumpti; quorum discrimē pau

Gal. 1. Aph. 15.

Gal. de rat. vict. in morb. acut. com. 1.

lo inferius manifeſtabitur. Cæterum animaduertendum eſt, quod non eadẽ, quæ prorſus deperdita ſunt (vt Galeni verba ſuperius adducta comprobant) nutritione reſtituantur: Perpetuaret ſiquidem hunc in modum nutribile corpus, ſemperque, hoc eſt in quacunque ætate augeretur animans dummodo alimentum capeſceret. Quare non idem ſang. non ijdem ſpiritus, neque humiditas eadem; item nec etiam eadem primigenia ſubſtantia, quę ab illis emanat, acquirũtur. Hinc appoſitiſsime dictum fuit ab ipſo Galeno. ni ſimilis altera ſubſtantia pro ea quæ defluxit, reſtituta ſit, &c. ex quo notandum eſt verbum, ſimilis, quia non eſt, vt ſi dixiſſet, eadem. Inde fit, quod quilibet ex puero factus vir ſui ſpeciẽ, atq; figurã ſibi congẽnitã permutet; ſed regignitur, quid cõſimile ratione idẽtitatis ipſius formæ, quæ permanet eadẽ. Pro quibus extat Galeni ſẽtentia primo de ſanit. tuenda, cap. 30. quæ huiuſmodi eſt. Nã ſi quale erat ipſum, quod effluxit, tale prorſus adiungere, agglutinareque ei, per totum liceret: optimum id ſaluberrimumque planẽ eſſet. Verũ vbi quod ſingulis parti-

ticulis defluit, tale natura eſt, qualis ipſa eſt particula, nihil autem eorum, quę edũtur, bibunturuè, eiuſmodi prorſus eſt, neceſſariũ naturæ fuit prius ea mutare, & concoquere, & quam fieri maximè potuit efficere corpori alendo, reſtituendoq; ſimilia. His abſolutis, reliquum modò eſt, vt ad alterum propoſitum tranſeamus, quod eſt, explicare modos, quibus nutritio alteri ſit adnexa, aut ſeparata ab alio, & per ſe ſola exiſtat. Pro quorum intellectu ſcire licet, quod reſtauratum tres reſpicit quãtitatis gradus, inæqualitatem, inquam maiorem, vel minorem, vel ipſam æqualitatem. Inæqualitas maior eſt, vbi reſtauratum plus eſt, quam deperditum; quo tempore nutritio dicitur auctioni coniuncta. Inæqualitas verò minor appellatur quum reſtauratum minus eſt, quam deperditum, & nutritio tunc diminutionem comitem habet. Aequalitatem dicere ſolemus quando tantũ eſt, id quod reſtauratur, quantum, & deperditum; vel ſi minus reſtauretur, quã deperdatur, quum hoc tamen ſenſibus percipi nequeat, dicitur adhuc tantum reſtaurari, quantum, & deperdi: & hoc

pa-

pacto nutritionem ſolam eſſe arbitramur. Hinc tres principes, ac potiſsimæ colliguntur ætates, nimirum auctionis, diminutionis, & quam conſiſtentiæ dicunt. Quæ omnes, pueritiæ, vel ſenectutis, aut virilitatis, ſeu florētis nuncupantur. Nam quum pueris multus inſit innatus calor, multa eis competit humiditas, quæ, & proportione eidem correſpondeat calori: hæc etenim eò inſtituta eſt, vt plus reſtauret, quam ſit, id quod iam deperditum eſt: propterea pueri ad ſemen gignendum idonei, ne quaquam exiſtunt, quum tota eorum humiditas pro nutritione cum incremẽto requiratur. Idem ſcriptum reliquit, Hippocrates ſub verbis illis. Qui creſcunt, plurimum habent, calidi innati, plurimo igitur egent alimento. Adultiores verò facti, ac pueritiæ ānos egreſſi, & ad ætatem illam, quæ (conſiſtentiæ dicitur) poſtquam peruenerint; calor nõ eſt eo temporis, in eadem copia, qua prius, & ſi acrior ſit, ac intenſior; tãta neque indigent humiditate: quum, vel minor, vel nulla tunc auctio fiat, ſuperuacanea, q; ibi dicitur humiditas; hac de cauſa prompti ad ſeminis genera tio-

Gal. 3. de ſymptt. cauſ. c. 3.

tionem cernuntur: Qui ſi ſenectam demum attigerint; ſicciores ob acrem præcedentem calorem, à quo natiuum humidum conſumptum eſt, effecti; Et ideo deficiente calore ab inopia humidi eius pabuli conſumpti, frigidiores redditi ſunt, & ad ſemen gignendum inepti fiunt; ac humiditate exhuberant excrementitia. Hęc dicta ſufficiant. Expli cemus modò ea omnia, quę ad veram, ſeu propriam nutritionem exiguntur.

Gal. 3. de ſympt. cauſs, c. 3.

Quot, & quæ veram nutritionẽ abſoluant. Cap. III.

Gal. in libro de conſt. artic. medicinalis.

QVAVD iniuria reprehẽdendus eſt opifex ille, qui in re aliqua çonſtruenda numerũ illorum, ex quibus eadẽ res abſoluitur, ignorat; Ita, & nos meritò quiſpiam redarguere poſſet, ſi ignoratis ijs, quæ nutritionẽ ingrediuntur, de ea agere inſtituamus. Ne igitur tanto erro re obuoluti videamur; quot numero ſint, & quæ veram nutritionẽ conficiãt enarremus, oportet. Tria igitur ab Ariſtotele commentantur, quæ ad hanc nutritionem efficiendam çoncurrere debent,

bent, in ſecũdo de Anima cõtextu qua-
drigeſimo nono. Quorum primum,
eſt materia, quę alimentum dicitur, &
nutrit: ſecundum, nutribile corpus;
Poſtremum, efficiens cauſa nutritionis.
Quippe cum nutritionem aſsimala-
tio conſequatur; hæc omnia exiguntur;
Id ſcilicet, quod aſsimilatur; id cui aſ-
ſimiletur; & cauſa efficiens, à qua de-
mum emanet aſsimilatio ipſa. Efficiẽs,
eſt anima vniuerſi corporis forma, ſi de
totius animantis nutritione loquamur:
aut forma partis, ſi de ipſius ſingulari
nutritione intelligamus. Animæ, no-
men formę aptatur, vt corpus informat
eademque dicitur efficiens, vt cauſa nu
tritionis exiſtit: conſpirant enim in v-
num ambæ hæ cauſæ, vti ab Ariſt. in ſe-
cundo Phiſicorum deſcriptum eſt. Id
cui aſsimilatur, eſt corpus ipſum, vel
aliqua corporis pars appellatur. Id autẽ
quod aſsimilari contingit, alimentum
vocatur: & ſic nutritio tandem emer-
git, quæ idem eſt, quod, & vera aſsimi-
latio, teſte Galeno in ijs comentarijs,
qui de symptomatum cauſis inſcribun- *Lib. 3. c. 2.*
tur; vel nos aſſeramus nutritionem effe-
ctum quendam eſſe, qui ab eadẽmet aſ-
ſimi-

similatione necessario profluit; adeo ꝙ vera naturæ operatio, & operationis terminus, assimilatio est, quamuis ab ipsius effectu (nutritione inquam) nomenclaturam sūpsisse videatur; id quod Galenus quoque in libello, cui titulus est de succorum bonitate, ac vitio, cap. quinto, rectè sentire videtur, dum inquit. Quæcunque enim nutriuntur, ita demum nutrientur, si quæ illa nutriūt, qualitate immutentur, & ijs, quæ nutriuntur assimilentur. In 6. quintoq; de sanit. tuenda, cap. 30. hæc verba scribuntur. Nutritio enim fit, cum is, qui nutrit cibus corpori, quod alit assimilatur. Verùm enim verò præcedunt assimilationem ipsam actiones, nonnullæ à digestiua virtute prodeuntes, postquã humores pro nutrititione conficienda exierint è venis. Actiones sunt diffusio, quã dissemination̄em dicimus. Appositio, & aglutinatio, seu coherentia nuncupata. Vnde si res ordine progrediatur, optimam assimilationem perfecta, absolutaque cohærentia præcedit, hanc appositio recta, appositionem demum optima diffusio: ex quibus omnibus, omnibus ritè dispositis optima nutritio

con-

consurget. Alioqui, si aliquis in eis error fiat, ac actionum frustratio aliqua eueniat: tunc praui, ijque diuersi pro varia erroris formula, & ratione; atque actionum frustratione oriũtur affectus; Namque si committatur error aliquis, aut frustratio succedat ab ipsa aĩa (non sui culpa, sed nutribilis subiecti causa, quod ipsũ non perbellè accommodatũ fuerit, aut culpa materię ineptæ) in assimilando, causatur lepra. Si ab ipsa digestiua, in agglutinãdo error fiat, gingitur tum Hidropis ea species, quæ dicitur Anasarca. Si in apponendo: altero duorum modorum contingit, vel quatenus praua apponitur materia, & oritur cacochimia, vel quatenus non apponitur, idque, vel diminute fit (vt dici solet) vel ablate. Primo modo efficitur tabes: seu macilentia propriè nũcupata; in qua corpus, siue membrum nutritur, modicè tamen, si ablatè fiat, pœnitus non nutritur; diciturque, id temporis Atrophia. At si quispiam nos interoget, quomodo; qua vè ratione corpus in Atrophiam delapsum viuere possit, si prorsus nutritione priuatur; nã viuimus tandiu (ex Arist. documento(

Gal. 3. de sanit. tuenda. cap. 13. Tertio de sym pt. causis, c. 2.

Secundo de ætia, tex. 47.

quandiu nutrimur. Huic petitioni ità satisfieri volumus. Huiusmodi corpus eatenus viuit, quatenus ei verum alimẽtum, agglutinatum vè sufficit: ex apponendo autem alimento fructum nõ capiens, amplius, quia non suggeritur idonea futuraq; eidem alimonia, deficit demum Animans; adeo quòd membrum, quod in corpore viuit, sed parũ nutritur, ex alimento, quod ei suggeritur; non occupatum Atrophia, sed tabe affectum dicere licet. Hęc igitur omnia ad tria numero dumtaxat reducamus. Ad digestiuam nempe, quæ ritè operetur. Ad alimentarem materiam actionibus prędictis idoneam. Et ad corpus optima constitutione dispositũ. Sed caue ne nomine digestiuæ, quid intelligas à quatuor facultatibus seiũctũ, quoniam digestiua est, quoddã ex illis prorsus emergẽs, vt ex Galeno appositè colligitur, in tertio de Sympt. causis, cap. tertio. Nunc sit transitus ad eas cõditiones enarrandas, quæ ad optimam corporis constitutionem pertinent.

Cor-

Corporis nutribilis conditiones. Cap. IIII.

QVI alimentorum facultates exactè teneat, nisi idem corporum naturas cognitas habeat, quibus ea adhibēda sit, eum nondum, neq; auxilium, neque verò salubris victus rationis sciētiam assecutum dicimus. Cui igitur rectus alimentorum vsus debet, is dignoscat oportet principio rarę, densæq; hominum cutis differentias, deinceps, q; ab his vniuersam corporis temperaturam, & partium ipsius. Hęc scripsit Galenus in libello de succorum bonitate, & vitio, cap. x. Quocirca de huius optima cōstitutione agamus. Humanum corpus optima tunc dicitur dispositione cōstitutum, quum omnibus perfectionis numeris absolutū existit; qui tum ipsius temperaturam (penes similaria) respiciunt, necnon spirituum influentium commoderationem, in eorum qualitatibus, in quantitate modū, ac in eorundem substantia mediocritatem retinent: Tum rectam composi-

Gal. de sanit. tuenda, c. 1. 4. & 6.

Gal 6. de sanit. tuenda, c. 1. 2.

tionem penes inſtrumentaria: Tũ etiã penes (vtriuſque commune) exactam partium vnionem. Temperatura exquiſitiſsima eſt, quotieſcumque primarum elementorum omnium qualitatũ æqua mixtio fiat, quam præcedat æqua ſubſtantiarum, tam materialiter (vt dicam) quàm formaliter elementorum corpus ingredientium commixtio: ex hac enim oritur forma, quædam, & media, quæ ſubſtantialis concreti vocatur: ex illa itidem altera forma conſurgit, quæ mixti accidentalis nomen adepta eſt, hancque corporis complexionem nominamus: quam licet nemo fateatur abſolutam, & (vt naturæ interpretes aiunt) ad pondus reperiri; aſſerunt nihilominus ij qui fuerunt Illuſtres in doctrinis temperaturam ad iuſtitiã dari. Ideo Galenus in lib. de temperamẽtis, necnon in ſecundo de dinoſcendis pulſibus, cap. tertio, docuit omnium optimam temperaturam, nec calidam eſſe, nec frigidam, nec humidã, nec ſicca; neq; molle, neq; durã: quippe haſce omnes (inquit ipſe) quibusdã exceſsib⁹, defectib⁹, q; cõſtare intelligimus. Diximus hactenus de corporis humani temperatura,

Gal. 1. de ſanit. tuen. c. 1.

peratura. Veniamus ad alteram partem quæ est de compositione eiusdem. Recta nostri corporis compositio conditionibus quatuor absoluitur: Conuenienti forma: Decenti numero: Debita magnitudine: Et naturali partium situ. Forma conueniens est, quando corpus, & corporis pars commodam figuram sortiatur, eamque aptè seruauerit, nec incõsultò diximus, seruauerit, quoniam si ab ortu eiusmodi figuram sortita fuerit, sed illam temporis, progressu, casu quodam amisserit, ea non amplius commoda figura censebitur; vt puta, si aliqua corporis pars rectitudinem postulet, directaque eadem oriatur, deincepsque curua fiat; nulli dubium est. quòd tunc vitiata figura dici debeat: dicitur quoque commoda figura, quando, id quod planum esse debet, non fuerit concauum, & quod debet esse adstrictum, meatum non acceperit: pariter, quod debet esse asperum, non sit lene; & de horum singuliis vice versa intelligatur; ex quibus ĩ simul adnexis cõmoda figura constitui solent. Decens nu-

Gal. 1. de sanit. tuen. c. 1.

numerus tunc exiſtit, quum adſit defectus, neque ſuperabundantia; vt quando vnicæ manui quatuor tantum digiti inſunt, deficiens numerus eſt, quando verò ſeptẽ numero digiti orti ſint, ſuperabundãs numerus dicatur; ſiquidem numerus digitorum, cuiuſcumque manus condecens, ex quinque conſtitui debeat. Magnitudo debita exiſtimatur, quãdo nõ adoluerit corpus, & corporis pars magis, q̃ decuerat, aut nimis extenuetur. Magnitudo autem in vniuersũ iuxta tria conſideratur, ideſt penes tres omnes numero dimenſiones: Longitudinem inquam: Latitudinem: Ac profunditatem; vt ſi corpori, vel ipſius parti alicui duorum cubitorum longitudo conueniat, & ei trium contigerit: non erit magnitudo penes longitudinem cõueniens. Pariter ſi competat, Latitudo cubiti vnius, & corpus hanc exceſſerit, vel in ea defecerit: non erit tunc debita magnitudo penes latitudinem. Simili modo de profunditate, ſeu altitudine dicendum eſt. Naturalis partium ſitus appellatur, dum compoſitura eſt recta, & ſecundum naturam in poſitu: Id autem trifariam contingere ſolet: primo,

Gal. de vſu partium, primo, cap. 23.

quando

quando pars aliqua posituram suæ naturalis figuræ sortita sit: secundo, quum situm sui lateris obtineat: Tertio modo quando in suo latere debitam distantiã continuerit. Primi modi sit exemplum Hepar cum suis lobis inferius vergentibus. Secũdi modi idem iecur in dextro latere situm; nam visum est quandoq; per corporum dissectores, præcipueq; per Constantium Variolam. Hoc in alienũ latus transpositum. Tertius quoque modus exemplificatur in Hepate, quod si adeò approximetur ventriculo, vt penes aliquam sui partem ventriculum ipsum amplectatur; & de renibus, quorum alter altero sit sublimior præbeatur exemplum. Isti sunt modi naturalis situs; de quibus tamquam de secũda dicendorum parte, nempe corporis, vel eiusdem partis compositione, satis dictum sit: Perfectam vnitatem asseuerant omnes, quum adeò cocũt inuicem partes, vt nulla prorsus adsit continui dissolutio. His igitur omnibus iam explicatis, quæ ad exactam corporis nutribilis constitutionem faciunt. Superest, vt de alimentari materia sermonẽ habeamus: quia prius diximus, tria es-

ſe, quæ vera nutritio expoſcit: vnum dicitur nutribile corpus, de quo hucuſque dictum fuit: Alterum efficiés cauſa. Tertium, id quod nutrit. De hoc, itaque loquamur.

Alimentaris materia, quæ, et qualis ſit, ac eius diuiſio. Cap. V.

ALimentarem materiá vniuerſam Hippocrates, in lib. de Alimento, hoc ordine digeſsit. Nutrimentum, eſt quod nutrit. Nutrimentum, quod veluti nutrimentum eſt. Nutrimentũ, quod nutriturum eſt. Quæ verba Gal. exponens, primo de facultatibus naturalibus, cap. xi. dixit. nutrimentũ appellatur propriè, quod iam aſsimilatur, ac nutrit: quod verò tale eſt quale illud, nẽpe appoſitũ agglutinatũuè genus, nõdum tamẽ nutriuit; id propriè nutrimentũ non eſt, ſed veluti nutriens; quod aũt in venis eſt, atq; hoc ẽt magis, quod in vẽtriculo exiſtit, id nutriturum appellatur: ad hunc modum edulia quæque nutrimẽtum vocamus; de quibus Ariſtoteles quoque verba faciens

Secundo de anima, tex. 45

ciens, inquit. Alimentum eſt, & quod vltimo aduenit; & quod ingeritur. Quæ omnia Poſſumus, etiam nos tali ſerie diſponere. Alimentorum materia; alia actu eſt, hoc eſt aſsimilata actu nutrit: alia verò potentia exiſtit: Hæc iterum ſubdiuiditur in eam, quę proxima, remota, atque remotiſsima dici ſolet. Proxima, ſecundæ ſunt humiditates, vt ros cambium, &c. quæ parum diſtant, ab actu nutrientibus. Remota, dicũtur humores, qui conduntur in venis. Remotiſsima, in duas adhuc ſecatur partes, in intrinſecam videlicet, ac extrinſecam. Intrinſecam exiſtimamus eam, quæ continetur in ventriculo. Extrinſeca, ſunt cibaria quæque. Humores qui ſunt in venis collecti, alimentum ſub potentia remota eſſe cenſemus, eo quòd antequam actu nutriant, in ſecundas humiditates verti neceſſe eſt, dein aſsimilari. Atqui alimentorum materia dicuntur, quoniam eorum, quilibet aptus eſt membra, ſibi conſimilia nutrire, ita vt ſanguis membra ſanguinea nutriat: pituitoſa alat pituita; &

ſic

fic de ſingulis dicendum eſt. Verum, ob id a ſſerere, nec oportet vnumquemque purum, & ex ſe humorem corpus alere; quum nulla corporis pars ſimplex, ac pura reperiatur, ex Hipp. & Galeno in lib. de Nat. Humana: ſed quatenus eorum quiſque præpollens nutrit partē aliquam (hac lege tamen, quod cum eo cæteri humores aſſocientur) dicitur nutritio, ex hoc atque ex illo tantum emergi. Vnde fit, vt in nutritione melancholicæ partis melancholia, pituitoſæ pituita præpolleat; & ita de reliquis ſentire licebit. Cæterum quoniam animantis membra maiori ex parte ſanguinea ſunt, & ex conſequenti, vt plurimum ſanguine nutriuntur: hac ratione, ex quatuor humoribus ſolum ſanguinem nutrire medicorum non pauci aſſeuerant. Hucuſq; de alimentali materia, quæ in potentia remota dicitur, protracta ſit oratio noſtra. Reliquū modo eſt, vt de ea, quæ in remotiori potentia eſt ſermonem habeamus; quam in extrinſecam, & intrinſecam diuiſimus, & extrinſecam edulia eſſe pronūciauimus, dummodo eduliorum nomine ea, etiam intelligantur, quæ in potu

tu ſumere ſolemus. Intrinſeca, de quâ agimus in præſenti eſt ſuccus ille; quẽ Chylum appellamus, quem, & intrinſecum, & etiamnum remotiorem nuncupamus, tum quia intra corpus eſt, tũ quia magis, quam humores ipſi à proprio nutrimento diſtat: tametſi plures Medici Chylum nutrire propriè crediderint; perperam intelligentes Galeni verba, in comentarijs de Nat. facultatibus; in ſecundo quoque Aphoriſmorũ comentario ſuper Aphoriſmum, decimumoctauum, vbi tali ordine conſcripta reperiuntur. Ventriculus, prius cibis fruitur, familiarem ſibi ſuccum attrahens, & ſuis apponens tunicis, mox vbi hic eſt ſaturatus, tunc ipſos ad excretionem mittit: quæ dicta Galeni, ſi bene perpendantur, non indicant de nutritione fore intelligẽda; quod quidem per verbum illud, apponens, demonſtratur: nõ enim ſufficit ad aliquod nutriendum appoſitio; ſed præter hanc agglutinatio requiritur, quam aſſimilatio demum ſequitur, quemadmodum ex Galeno antea aſſertum fuit; qui alimentum propriè dixit, id quod aſſimilatur, quod verò nondum aſſimilatum eſt,

est, sed agglutinatum tantum, vel appositum; id veluti nutriens appellauit, hoc est in potentia nutrimentum existens. Præterea non est vsus eo verbo, nutritus, sed saturatus: Licet falsò in quadam versione latina, saturatus, legatur: secus esse interpretandum indicat Græcus codex. ἢ γαρ τοὶ γαστηρ απολαυείν εν ἐδεί κυντο των σὶτὶων αυτὴ πρωτως τὸν οἰκεῖον ἐζ αυτῶν ελκοῦσα χυμον εν απο τιθε μεόη τε τοῖς εὰυτή ς χητωσὶν ἐὶ τ ἔπεὶ δάν τουτον κορεσθη την ηκαῦτα εκ πεμπεί αυτα πρὸς δὶαχωρησην Nã verbũ κορεσθη saturatus verti debet: qui verò aliter sentiunt, malè exponunt. Quare explicat Galenus se non de nutritione, sed de animali appetitu, de fame scilicet; quem quidem appetitum asserit ipsemet in secundo de sympt. causis quatuor numero causas amplecti; vacuationem videlicet, vacuatorum naturalem appetentiam, exuctionem, & exuctionis sensum; à quo molestia quædam oritur, ad differentiam naturalis appetitus, cui molestia hæc minime contingere potest,

quum

quum huiuſcemodi appetitus ſit ſenſu deſtitutus. Ad hanc igitur moleſtiam remouendam attrahit ventriculus, ex edulijs ingeſtis ſuccum aliquem ſibi familiarem magis, donec poſtea ſaturatus, & contentus redditus appoſitione nimirum illius ſucci dumtaxat, repleto vacuo, ablata vacuatorum naturali appetentia, ac exuctione, moleſtiaque pariter, quæ ab exuctionis ſenſu ortum duxerat: ventriculus eundem ſuccum peſſum emittit, per piloron nempe quod ventriculi os inferius interpretamur) ad Hepar, pro altera coctione conficienda; dummodo Hepar ipſum non admodom indigeat; namque ſi alimento magnopere egeat, trahit ad ſe ſe eundem ſuccum per ramum venæ portæ, per quem, & idemmet ventriculus ſibi verum alimentum attrahit ab Hepate. Horum autem, quæ modò aſſerimus fidem perhibent, hæc duo; vnum qui vrgente ingenti fame, ſi olera, vel id genus ſimilia præbeantur, modicè nutrientia contentatur illico ventriculus, non ea ratione, quòd ſtatî ipſe alatur; verũ quia ex ole-

ex oleribus, id quod vacuum eſt replẽ-tibus tollitur moleſtia ab exuctionis sẽ ſu iam orta, vnde ſequebatur fames. Al terum, dictorum fidem faciẽs, eſt quod è corporum diſſectione præteritis, iam annis palam conſpeximus, ſecantes columbum quemdam, in cuius iecinoris ſubſtãtiam plurima Cicerum grana adhuc integra confixa deprændimus, quæ per aliam viam rapta fuiſſe, haud opinamur, quam per ramum eiusdem portæ, qui breuior ductus eſt, directior q; ac item latior, quam ſint meſaraicæ inteſtinorum venæ; &ſi idemmet ramus de numero meſaraicarum meritò dici queat; quatenus è ventriculo (per illũ) attrahit Iecur ſuccum, quemdam pro ſui ſaturitate, quum fuerit neceſsitate coactum, nulla coctione peracta. Huic conſonum eſt, quod apud Galenum cõperimus, in primo de facult. ſimpliciũ aliment. cap. ſecundo. Carnes .n. inanitæ rapiunt, ex ventre ſuccum, nõ modò ſemicoctum, ſed nonnumquã etiam omnino crudum, atque incoctum, cum cibo ſumpto operibus ſeſe reddiderint. Nec pro abſurdo habendum eſt, quod per eandem viam chylus à ventriculo,

ac inteſtinis mittatur ad Hepar, & ab Hepate alimentum ad inteſtina, ventriculumque pellatur; nam qui aliter ſentit, mõſtrat ſe non intelligere opus naturæ, authore Galeno, in comentarijs, de vſu partium, vbi modus iſte anadoſis appellatur ab eo. Itaque ex his planè colligere poſſumus quantum à nutritione diſcrepet ſaturitas: Nutritio enim poſt appoſitionem, agglutinationemq; aſsimilato alimento parti alicui, vel corpori nutribili emergit: Saturitas verò fit, ex inaniti repletione, quam præceſſerit exuctio (à qua oriatur ſenſatio) per ſolam ſuccorum appoſitionem, ad exuctionis ſenſus moleſtiam remouẽdam, & famem, qui dictus eſt animantis appetitus. Sed audio quemdam dicentem, ſi ramus venæ portæ, qui ad ventriculũ deriuatur, latior eſt Meſarei venis, & iecori propinquior; Itemque (ais) à vẽtriculo iecur eiuſmodi ſuccum trahere: Cur omnes fatentur per Meſenterij venas tum chylum, tum alimentum, ad Hepar duci; id quod aptius per viam illam, per ramum, ſcilicet ipſius portæ iecur moliri poſſet. Cui ſic ſatisfacimus Iecur ingenti egeſtate adactum à ventriculo

triculo ad ſe ſe per ramum illum rapit ſuccum, nonnumquam ſemicoctum, & omnino crudum; cæteris verò temporibus, nequaquam. At ab inteſtinis ordine trahit iecur, & per Miſaraicas vocatas venas, dum alimento eget, citra vrgentem illam neceſsitatem enarratã. Siquidem Chylus ipſe diutius ĩ inteſtinorũ anfractibus permanes, eo coctior reddi ſoleat. Hucuſque dictum ſit de materia, quę alimentum nuncupatur, ac nutrit. Supereſt de forma Humani corporis nutritionem efficiente dicendum.

Forma Corporis Humani, efficiens nutritionis cauſa, quę ſit. Cap. VI.

QVI ſunt Ariſtotelis dogmata perpetuò ſequuti hi ex illis promptè cognouerint actionem agentis in patiente pro bè diſpoſito conſiſtere; qua quidem accepta poſitione; nos facile non omnino mente captis declarare poterimus, quod ad exactam humani

mani corporis nutritionem conficiendã (cuius cauſa efficiens eſt Anima ipſa, eiuſdem corporis forma nuncupata vt antea declarauimus) requiritur corpus, ſeu membrum ritè diſpoſitum, necnon alimentaris materia ad nutriendum idonea, vt dictum eſt ſuperius. At quæ ſint leges perfectum Nutribile conſtituentes, enarrauimus; dum diximus eas ab influẽtibus ſpiritibus, (quos vel influentem calorem dicas) deſumi: Itidem & ab optima eiuſdem temperatura: à partium cõpoſitione: atq; ab ipſarum continuitate emanare. De materiæ aptitudine, partim verba fecimus, partim facimus: id manifeſtabitur quum de Coctione, cæterisq; naturalibus facultatibus ſermonem habuerimus. Partim manifeſtauimus, dum de actionibus Aſſimilationem præcedentibus (Appoſitione inquam & Agglutinatione) loquuti fuimus. Eiuſmodi materiam igitur, quam halitus ſpeciem Galenus appellat, poris ſeu corporis meatibus imbibitã informat Anima, quam informando, adſimilat illam materiæ quę eidem Animæ ſubijcitur; vtputa alimentum carni; quæ quidem mutatio, ſubſtan-

Secũdo de ſym pt. cauſis, c. 3.

tialis eſt. Teſtatur hoc, eiuſdem Philoſophi ſententia in ſecũdo de anima tex. 47. ſub hac locutionis formula. Eſt autem eſſe aliud Alimento, & Augmentatiuo: Secundum enim quòd quantum quoddam eſt augmentatiuum eſt: Secũdum autem quòd hoc aliquid, & ſubſtãtia, alimentum. Itaque tali pacto nutritio conſequitur, & corporis conſeruatio; Iuxta dictum Ariſtotelis ibidẽ. Conſeruat enim ſubſtantiam, & eouſque eſt, quouſque alitur: Id quod exemplo quoque poterit explicari de igne, qui licet impropria nutritione alatur, ſi tamẽ ei combuſtibile aliquod pro ſui pabulo ſupponatur, dummodo præuia diſpoſitione paratum ſit, ac idoneum, in illud confeſtim ignis ſui formam imprimit, vel de illius materiæ potentia, ſinuque eam deducit; & ita illã demum aſsimilat materiæ, quæ eidem igni antea ſubiecta erat; vnde & ignis conſeruationem fieri ſenſibus patet. Anima, tres ſubiectiuas partes, quæ ſpecies dicuntur, in ſe comprehendit; quarum vna eſt in plantis & vegetatiua nominatur, quum eædemmet Plantæ auctione dumtaxat indigeant, vt ab Ariſto-

tele

tele conſcriptum eſt; cuius verba ſunt hæc. A ſenſitiuo autem ſeparatur vegetatiuum in Plantis. Altera ſenſitiua in Brutis, quæ in ipſis ſenſationem auctionemque parit: hoc idem Ariſt. fatetur. In ſenſitiuo autem vegetatiuum eſt. Poſtrema, intellectiua eſt, quæ in Homine reperitur. Ab hac omnes in Homine prodeunt operationes. Huiuſmodi Anima ſecundum ſpeciem vnica Humanum genus vniuerſum illuſtrat: multiplex verò fit ac numeroſa, pro ſingularium hominum numero atq; multitudine. Vegetatiua ergo & ſenſitiua in Humano genere ab intellectu (ſpecie) minimè differunt; quod hiſce verbis comprobat Ariſt. Quibus enim ineſt ratiocinatio corruptibilium, his & reliqua omnia. Sed eadem rationalis Anima pro varijs functionum generibus, quas ex diuerſis eiuſdem facultatibus edit, variam adipiſcitur nomenclaturam; adeo ꝙ quatenus ipſa auget, vegetatiua nominatur, quatenus ſenſationẽ parit, dicitur ſenſitiua; quatenus verò ab illa emanat intellectio, nomen intellectus ſortiri ſolet. Nemo tñ inficiatur exiſtimans noſtrum hoc decretum

Secundo de Anima, tex. 31.

Secundo de Anima, tex. 31.

Ariſt. 2. de Anima, tex. 32.

Secũdo degẽ. animal.c.3. Ariſtotelis doctrinæ aduerſum eſſe; qui aſſerit embrionem prius viuere vita Plãtæ, de inde vita Animalis, ideſt augeri prius, mox ſentire: qui quidem dicendi modus videtur in Animantibus ipſis inter vegetatiuam Animam & ſenſitiuam diſcrimen quoddam ponere. Cui facillime reſpondebimus: ſi Ariſtotelis ſermo eſt ibi de vero embrione, hoc eſt anteaquam ei membra ſint articulata: tunc eſt ſententia proculdubio non de propria auctione intelligenda. Quoniam articulatis diſtinctisque membris ingreditur Embrionem illico rationalis Anima; à qua tunc auctio vera, ſenſatioq; pariter emanant. Quàmuis intellectio non ſtatim emergat ob inſtrumentorũ ineptitudinem. At, ſi quis vlterius progrediens inſtet hanc noſtram ſententiam Ariſtoteli directius oppo-
Ibidem. ni; qui dixit. Non eodem tempore fieri & Animal & Hominem; Nam poſitis his, nempè ſimulatque intellectus embrionem ingreditur, ſenſationem gignat, & hac ratione dicitur Animal: Fatendum eſt pariter quòd illicò dicatur Homo; quando cum hominis eſſe ab eodem intellectu ſuſcipiatur. Dicamus breui,

breui, Atiſtotelis ſermonem haud eſſe de Animarum eſſentiæ ordine ſumendum; ſed de eiuſdem animæ operationum ſerie Quare talis ſit verborum ſenſus. Non eodem tempore idem fit Animal & Homo; hoc eſt prius operatur Anima intellectiua in embrione ſenſationem efficiendo, mox intellectionẽ, tunc ſcilicet, quum diſtincta membra ad intellectionem idonea facta fuerint. Alioqui, ſi in huiuſmodi Embrione ſenſitiua anima, abſque intellectiua per aliquod temporis ſpatium exiſteret, Humanus Embrio neutiquam à Brutis diſſideret, ſed eſſet eiuſdem ſpeciei cum illis. Nec eſt alicuius momenti reſponſum dicentium, quòd embrio tunc temporis potentia quadam differt à Brutis, qua diſpoſitus eſt ad rationalem animã recipiendam; Quoniam potentia illa, quid ſpecie diuerſum efficere minimè valet, quum ipſa rei forma non ſit. Vel ſi velimus aſſerere ſenſitiuam Brutorũ à ſenſitiua Hominis, ſpecie diſtinctam eſſe quia ab agente ſpecie diſtincto emanat, licet ambæ ſenſitiuæ dicantur; Necnon coacti fuerimus fateri vegetatiuam ſenſitiuamq; Animam in Huma-

no Embrione dicere quid ab Anima rationale seiunctum. Dicimus tamen nos id non eodem tempore fieri posse: superueniente siquidem Anima intellectiua; ambæ illæ, sensitiua inquam & vegetatiua desinunt esse: quemadmodum forma ligni desinit in ligno, cum fuerit in eo ignis accensus. Ab anima igitur intellectiua functiones prædictę ,pdeunt omnes; quæ quidem Anima, forma est totius Humani corporis, quamuis intellectionem nec assidue nec in quacunque corporis parte producat; hoc tamen accidit non sui culpa, sed obiectorum causa; quæ ei non offerũtur, vel subiectorum culpa (in quibus agit) propter illorum ineptitudinem: Hinc fit quòd intellectionem haud gignit in Bracchio, nec in quamplurimis corporis partibus, quia eæ ad intellectionem pariendam idoneæ non sunt; nec tale opus in cerebro, membro alioqui ad id idoneo perpetuo exercet, quum ei nõ semper phantasmata speculanda represententur; vbi neque sensatio tactus fieri omnino compertum est, quoniam est ad hanc sensationem ineptum: immõ nullam interdum in aliqua corporis

parte

parte functionem edere percipitur; adeo vt nedũ intellectionẽ, ſed neque auctionem neque nutritionem ipſam producit. Non auctionem, ſi adſit materiæ vel ſpirituum priuatio. Non ſenſationem, ſi aderit ſpirituum interceptio, quamquam cæteræ conditiones ad ſentiendum in eadem parte reperiantur: vt exemplis rem illuſtrando patefacere poterimus. ſit membrum aliquod ſtrictis laqueis obductum, id nec ſentit nec augetur; quia eſt error ab alimentorum priuatione, & ſpirituum prohibita fluxione; qui ad membrum alendum confluere debebant immò minus ad intellectionẽ efficiẽdam, ſaltem ad ſenſationem & auctionem obeundam ſpiritibus hiſce vtitur Anima ipſa vt inſtrumento in qualibet noſtri corporis functione. Quo factum eſt vt à Galeno dictum fuerit innatum calidũ omnium actionum naturalium cauſam: id quoque animantium naturã appellauit Hippocrates. Quib. ergo ſi fuerit Anima impedita, ſua munia obire non poterit. Quamobrem, neq; tunc tẽporis nutriet: non nutriet dico, hac ratione cõmotus: Qm̃ ab eadem Animæ *Primo Aph. 15.*

facultate auctio fit, pariter atque nutri tio, vt colligi potest ex Aristotelis doctrina in secundo de anima cõtextu quadrigesimo secundo: quæ quidem functiones quantum inter se discrepent, monstrauimus ex eiusdemmet Aristotelis sententia textu quadrigesimo septimo eiusdem libri. Quare auctiua potentia in aliquo subiecto non soluta, priuatione prorsus alimenti; vel spirituum prohibitione, aufertur & nutritio: Quando cum Natura semper auctionẽ intendat, idcirco nutriat; licet quotiescunque nutrit, non augeat semper: hoc etenim non ab ipsa natura, sed ex aliis causis oritur impedimentum. Causas igitur inuestigemus, ob quas non augeat quotiescunque nutrit. Prima quæ se se nobis offert causa est materiæ defectus, quæ ad auctionem sufficiens non suppeditatur. Secunda, sunt spiritus imbecilliores redditi, quoniam perpetuo deperduntur, qui quidem deperditi, non ijdem recuperantur omnino. Deperduntur bifariam spiritus ipsi; vel dissolutione substantiæ (quæ illos constituit) dũ nimis attenuata fuerit, quæ, elementaris spirituum substantia dicitur;

citur, vel dum eorum caliditas primigenium humidum eius, pabulum (quã alimentarem ſubſtantiam dicimus) consumpſerit, id quod in Adultis ordine quodam ipſius naturæ contingere perſpicitur: vtraque ſpirituũ ſubſtantia adhuc duplex eſt: vel natiua à ſemine deducta: vel aduentitia, quæ (nutritione) adacta, ſubactaque eſt. His itaque de cauſis, & ob eandem ſpirituum caliditatem ab externo calore, aut ab aduerſo frigore in alienam qualitatem commutatã, ſeu quouis alio modo à qualibet infenſa cauſa diminutam, debiles facti ſpiritus (adhuc alendo) terminare auctionem coguntur. Hinc cernimus non æque in omnibus; ſed in quibuſdã celerius, in quibuſdam verò tardius: in his maiorem: in illis minorem auctionem terminari, pro validiori imbecilliori; cauſa ſpiritus ipſos alterante. Quamuis Ariſtoteles oppoſitum ſenſiſſe videatur, hiſce verbis. Natura autẽ Conſtantium omnium terminus eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti; Hæc autem animæ ſunt, ſed non ignis, & rationis magis quàm materiæ. Nos tamẽ conciliat eo loci magnus Commẽtator

Auer-

Auerroes, inquiens, à calore prædictas functiones terminari: ceu Galenus quo que in primo aphorismorum xv. asseuerat, & ait. Calidum innatum animal finxit, efformauitque, ad iustam magnitudinem perduxit, & denique ad finem vsque vitæ alit, atque sustentat: verum quia calor habet supra se causam primam (dicit Auerr.) quæ est Anima ipsa; Ideo attributione quadã, ac dignitate primaria. Huiusmodi opa ad Aiam referuntur (quemadmodum nos pariter posuimus) secundaria verò & instrumentali ratione, ad spiritus ipsos vel calorem: Idem enim est calor & spiritus, sumendo non eorum qualitatem seorsum, neque substantiam illorum; sed quod ex eorum societate nexuque conditum est. Sicuti spirituum substantia bipartita est, ita & ipsorum caliditas in duas secatur partes, in natiuam scilicet à semine contractam: & aduentitiam nutritione adeptam; ex qua fit recentiorum spirituum generatio, ac ipsorum cum natiuis confusio. Huic nostræ sententiæ videtur palam fauere eademmet Galeni sententia, à nobis antea relata. porrò si permanens

esset

eſſet membrorum eſſentia, neque venis indigerent nec arteriis, &c. ex qua ritè colligimus quod pronunciauimus, nempe ſpirituum recentium ortũ ſeu generationem, ac illorum confuſionem cum natiuis media præeunte nutritione duci. Nam, quum ad membrorum eſſentiam inſtituti ſint etiam ſpiritus; quæ quidem eſſentia non permanens, indiget & venis & arteriis pro illius conſeruatione; nonne poſſumus aſſerere, & merito debemus, quòd venarum, arteriarumque cauſa, tum generatio ſpirituum, tum eorundem mixtio conſequatur? Huic etiam poſſumus (ſi placet) alteram quæ eſt Medicorum rationem adnectere: ſpiritus qui fiunt imbecilliores, tantam ſanguinis copiam parare minime valent adeò vt, ex ea ſpermatica quæ dicuntur membra poſsint augeri; quoniam ſanguis qui multa indiget commutatione pro ſpermaticis membris alendis (aſſeuerante Galeno) quo magis indigebit ad earundem partium auctionem? Hanc ob cauſam enarrata membra non in quacunque augentur ætate, & auctioni

ter-

terminus imponitur, ideſt auctio non vlterius progreditur. ſin autem ætate conſiſtenti (nutritione) acquiratur ſubſtantiæ copia maior quàm ſit deperditæ; ea tunc in craſsitiem vertitur, non tamen exacte auget: Quandoquidé abſoluta auctio fiat penes omnes corporis partes, & iuxta illarum dimenſiones omnes. Hoc autem in Adoleſcentia commode contingit, in qua ſpiritus modice diſsipantur, atque in vberiori copia exiſtentes (quàm in ætate florenti) ijdem ſunt qui & ab origine geniti fuerant; validioresque ſunt, & habent vim tranſmutandi ſanguiné, vel dicas humores, non modò ad partium ſanguinearum verum etiã ad ſpermaticarum nutricationem & augmentum; & quòd fit id temporis reſtitutio maior quàm deperditio. Cæterum audiamus Fernelium, qui aduerſus Auicennam in hoc inuehitur inquiẽs haud fieri Auctionem ex vberiori acceſsione alimenti quàm proprię ſubſtantię deceſsione; Quoniam plerumque cernimus (ait) tum pueros tum Adoleſcentes febribus diuturnisque morbis oppreſſos grandi macie torreri, atque attenuari:

qui

qui tamen interea incrementum capeſſant. Hi quum parcius alantur, declarant accretionem neque pleniorem nutricationem eſſe, neque illi perpetuo tanquàm comitem aſsidere. Ego autẽ attenuationis vel maciei, ac morbi tem porum habita prius diſtinctione, Fernelio hunc in modum eſſe reſpondendũ cenſeo. Macies interdum tabeſcentiã ſignificat, ſi pro hac à Fernelio ſumatur Macies: falſum vtique eſt tunc pueros augeri; quia vix ſatis eſt ad eorum nutritionem alimonia: quinimo eiuſmodi pueri diminutè & non perfectè aluntur, ſi verò capiatur attenuatio pro eo quod idem eſt ac non impinguari: id pro certo habeo neque contra Auicennam, neque pariter contra nos eſſe; quia tunc ratione præaſſumpti & in venis iam exiſtentis; necnon ratione illius modici cibi, quem adhuc capiunt, toto ob ſpirituum robur validum in alimoniam conuerſo, nihilo ferè ad excretionem miſſo, propter eam quæ tum ad nutriendum tum ad augendum imminet neceſsitatem, abſurdũ non eſt quòd fiat eo tempore additio ſubſtantiæ maior quàm ſit deceſsio; & id in prima

morbi

morbi parte fatemur; hoc eſt, quouſque ſubſtantia eadem & ad alendum & ad augendum ſuffecerit. Atqui, hæc additio fit proculdubio minor, quàm ſi morbus abeſſet: fit itidem additio penes cunctas partium dimenſiones, verum quia maior in longitudine accedit, quàm in ipſa Craſsitie, quũ natura magis ſollicita ſit, atque coacta ad partiũ ſolidarum accretionem ea ætate inquã, qua ſpiritus validiores ſubſtantiam ad eaſdem partes augendas parare queunt: ſiquidem craſsities quauis ętate ferè cõparari poſsit, quum validum ſpirituũ robur minimè poſtulet. Propterea pueri, Adoleſcẽtesq; initio morborũ illorũ aucti ſecundũ longitudinẽ tantũmodo, videntur: macilentia verò in illis priuati non poſitiuè eſt, quatenus videlicet non tanta ſubſtantiæ copia apponitur penes craſsitiem, quanta penes longitudinem accedere videtur: non ob id tamen augeſcunt pueri iuxta longitudinem, & ſecundum craſsitiem minuuntur, quatenus penes hanc plus ſit deperditũ quam id quod reſtauratum eſt. In reliqua verò morbi parte, in qua ſi fortè ſubſtantia ex edulijs ingeſtis vix potis eſt ad nu

trien-

triẽdum, ac ſpirituum vis imbecilla admodum reddita ſit, Auctio non fiet amplius, ſed ceſſabit tunc, vel fiet illius (quod initio morbi fuit auctum) diminutio, quæ licet non prorſus ſequatur, ſuccedit ſaltem ſecundum aliquem gradum, quoniam minus tunc quam deperdatur acquiritur: & quia deperditum, naturæ duplicis exiſtit aereæ ſcilicet, ac terreneæ, aereaque magis reſoluitur: ob id poſt morbos diuturnos eius quod reſolutum eſt maior portio ſanguineæ ſubſtantiæ tanquã aereæ eſt, quam ſpermaticæ, quum ab humano corpore aſſiduè defluat aliquid: Macilentia poſitiuè apparet habens auctionem illam annexam quę à morbi principio hucuſque ſuperfuit, ſed minor. Atqui Fernelius inquit alibi, ſolum oſſa augeri, & ſic videtur reſponſum noſtrum non diſſoluiſſe argumentum in oppoſitum deductum. Dicimus, Fernelij ſententiam ſtare non poſſe, eo quod omnino repugnat Ariſt. dicenti. Auctum dici totum, & ſecundũ quamlibet partem augeri, nec ſolum oſſa. Niſi dicere velimus quod intelligat Fernelius de præcipua potiſsimaq. auctione, quoniam alio dixit ſubſtantiam car- *Gal. 1. Aph. 15.*

carnoſam in omni ætate augeri, & minui. Vel Fernelius forſan de auctionis termino loquutus eſt: adeò quod ſenſus ſermonis ipſius ſit, oſſa duntaxat augentur, hoc eſt quouſque poſſunt oſſa augeri, eouſque corpus humanũ vniuerſum augebitur: ceſſante verò oſsium auctione, deſinit & animantis totius auctio. Cauſa autem ob quam oſſa augeri deſiſtant, iam ſatis eſt à nobis antea declarata. Ceterum pro abſurdo non eſt habendum, vt pueri quandoque partium minutionem patiantur ob ſpirituum nempè vel alimentaris materiæ defectum. Sed quis iure meritò percuntari poſſet, quomodo poſt ethicam febrem, quam ſequitur ſpirituum debilitatio, pueri augentur adhuc? Reſpondendum eſt, ſi prius de febre hac diſtinxeris. Huiuſmodi enim febris in tres ſegregatur ſpecies, in quarum prima modicè ſpiritus debilitantur: in hac auctio fit dummodo alimentaris materia non deficiat. In tertia ſpecie febris huiuſce, pœnitus non augeſcunt, ſed ferè actum eſt de illis. In ſecunda verò, ſpiritus imbecilliores quã in priori ſpecie redduntur: attamen adeò validi permanẽt, & in ea copia ijdẽ

ſer-

ſeruantur quos ab origine duxerunt; qui vigorati ex noua ſpirituum generatione, additioneque pabuli, à recenti nutricatione ſubacta, ad auctionem efficiendam apti fiunt. In Adultis autē, & ſi aliqua fiat (ob nutritionem) ſpirituum vigoratio: tanta nihilominus fieri non poteſt, vt auctio ſuccedat ex illis; quando cum priores natiuique ſpiritus diuturni tēporis occaſione nimiū diſſoluti, ratione vtriuſque ſubſtantiæ alimentaris inquam ac elementaris & natiuæ; itemque natiuæ caliditatis ratione; quamuis adſcititia tum caliditas tum etiam ſubſtantia in his maior acquiratur. Contra verò ethica laborantibus, pueris obtingit. Ab his igitur ad ea reuertentes, à quibus hucuſque digreſsi fuimus; Non abre, poſſumus vnà cum Ariſtotele concludere eamdem eſſe animæ potentiam vegetatiuam, nutritiuā atque etiamnum generatiuam. Differunt autem harum functiones inter ſe ſe tali pacto. Materia enim quatenus de potentia ad actum aliquem deducitur; generatio dicitur mutatio illa; vt puta quod eſt in potentia caro, ſi actu caro fiat; ſed hæc alicui carnis ſpeciei

Ariſtot. 2. de anima 47.

poſtmodum aſsimilata, vt verbi cauſa, caro, humanæ carni aſsimilata, dicitur nutritio. Aſsimilata denique, vt in quanto, hoc eſt ſub maiori copia ſecundum omnes ſui partes (ſeruata prio ri carne quæ augetur) accepta, Auctio tum temporis vocatur. At hæc in hunc ordinem diſponuntur: Præcedit generatio nutritionem: Auctionem verò nutritio antecedit; quemadmodum Ariſtotelis ſcripta legendo; præcipue pri mum de generatione volumen, & ſecũdum de Anima reperies. verum poſſet aliquis inſtando aduerſus inſtitutum noſtrum arguere. ſi Nutritio, Auctioque pariter ab Animæ potẽtia ꝓfluũt: Hæ functiones merito animales nuncupari deberent. oppoſitum tamen cõpertum eſt ab alijs & à Galeno pronunciari, qui tum in libello de differ. ſymptomatum & in quamplurimis aliis locis, eas naturales appellat. Præterea; cur omnes potiſsimum in arte medica verſati, Nutritionem & Auctionem à facultate iecinoris fieri teſtati ſunt? Præbeamus huic reſponſum, quòd operationes quatenus ad animam vel ad eius potentiam referuntur, nihil prohibet

hibet illas dici animales: ſed auctio nutritioque determinato modo naturales dicuntur, eo quòd animæ potentia, à qua oriuntur (medio calore) auctio ac nutritio, circa materialia admodum verſatur. Scimus enim & optimè quòd nutritio ab aſsimilatione alimenti ad id quod alitur terminatur. Auctio in aſsimilatæ materiæ magnitudine conſiſtit. Senſatio verò & intellectio animales propriæ functiones vocantur; eo quòd potentia à qua ſenſatio oritur & intellectio, circa ea verſatur quæ ſunt immaterialia ac nobilium. Intellectionem, fieri ſpecierum intelligibilium apprehenſione ex accidentibus ſenſibilibus depuratorum, quis eſt qui ignoret? Et ſenſationem, formarum ſenſibilium receptione alicui intermedio prius impreſsarum, quæ mox ad Animæ potentiam relatæ ſint? vt palàm cognoſcitur in hac ſingulari ſenſatione ſenſus viſus, in qua non recipitur ſubiectũ ideę ſenſibilis; corrumperet ſiquidẽ id ſenſum ipſum; ſed idea tãtum ſiue ſpecies illius ſubiecti, (q̃ ſenſus obiectũ appellatur) ſuſcipitur ab eo. Ad alterum quæſitum, quod eſt (& nos quoq;

fatemur) operationes naturales ad Hepatis facultatem referri. &c. Respondeo, tali pacto esse intelligendum. Potentia ipsius Animæ conficit in Hepate massam humeralem, eamque ad actiones naturales parat, Nutritionem scilicet atque Auctionem; quatenus ex eadem humorum congerie spiritus gignũtur, sanguis, & seminalis humiditas: quæ sunt Animantis primordia, ex hac itidem humorum cõgerie gignitur materia Nutritioni & Auctioni accommoda: idcirco enarratæ functiones omnes iecori acceptę referuntur. Vel dicendũ est quòd Medici (insequentes stoicos) vegetatiuam, Naturam appellant. Restat adhuc altera difficultas nobis delenda, quæ in medium à Nonnullis afferri solet. Quomodo potest anima ista quæ dicitur intellectiua, siue rationalis anima nuncupata, Humano corpori & esse & operari, præbere idest, (ut recentiores aiunt) corpus informare, eique adsistere; nam forma quæ dat esse abscinditur abscisa parte quæ ab eadem informatur. Dicamus hoc verificari de formis illis, quæ de materiæ potentia deducuntur; quod de anima nostra dice-

dicere non licet : hæc etenim de foris adueniens corpori noſtro annectitur; ſumamus exempli gratia ſpeculum aliquod : iſtud ſi frangatur, repreſentabit adhuc figuram, eamque integram cuiuſcunque hominis vel alterius animantis intuentis illud. Dubijs hiſce ſolutis. Reliquum modò eſſet, vt de materia remotiori Nutritionis & extrinſeca loqueremur, ni ſermo de chylo, (qui ſuccus eſt è cibarijs in ventriculo coctus) anſam nobis dediſſet vt de Naturalibus facultatibus, ijsque Nutritioni deſeruientibus pertractaremus. Quare de his agamus.

De facultatibus naturalibus inſeruientibus nutritioni. Cap. VII.

De Attractrice, & Attractione.

QVum de facultatibus naturalibus, quæ Nutritioni deſeruiunt ſit à nobis agendum : ab vniuerſali facultatum diuiſione ordiri decreuimus.

Facultatum igitur, aliæ ſunt præcipuæ ac primæ, aliæ ſecundæ dicuntur. Primæ in partibus nobilioribus præcipuiſque locantur; vt animalis facultas in capite: vitalis in corde: Concoctrix in ventriculo: ſanguificatiua in iecore: Gignitiua in Teſtibus, & hæ naturales nuncupantur: Facultates verò ſecundæ, quæ etiam inſeruientes dicuntur, quatuor numero commentantur; Attractrix, Retentrix, Concoctrix ſiue Alteratrix, atque Expultrix. Hæ omnes in quacunque corporis particula reperiuntur vt teſtis eſt Galenus in commentarijs de differentijs morborum; necnon in octauo de compoſ. medicament. localium cap. 7. aſſeruit; ſed eius verba de propriis ac peculiaribus facultatibus ſunt intelligenda: Communium ſiquidem altera pollet in aliqua corporis parte & non in alia: vt concoctrix in ventriculo: Retentrix in Inteſtinis & veſica: Attractrix in Hepate & Renibus: Expultrix in renibus & inteſtinis. In veſica autem & inteſtinis attractio communis non fit; quoniam inteſtina neque à ventriculo trahunt, neque à renibus veſica vti ſcriptum reliquit Ga-

Gal. 5. de loc. affect. cap. 7.

Gal. 5. de loc. affect. cap. 7.

lenus

lenus in 6. de loc. affect. cap. 3. vt igitur absoluta corporis vel membri alicuius nutritio fiat, necesse est vt facultates omnes ritè se gerant. Attractrix facultas est vis animæ quædam, quæ medio temperamento attrahit ad membrũ id quod sibi familiare est. in hac autem operatione, Attractione inquam sunt quinque à nobis considerandа: Membrum ex quo: Membrum ad quod; Materia quæ trahitur: Et via, siue ductus per quos attractio fit: denique sunt instrumenta ad hanc opportuna. Membrum ad quod trahitur, dicimus tunc probe se habere, quotiescunque (suppositis cæteris conditionibus pro membrorum optima constitutione antea descriptis) temperatum in calore percipiatur; nam calidi est attrahere, scripsit Arist. in 4. Metheor. lib. Id summopere animaduertendum est; quoniam si excessus defectusve esset in calido ipsius mẽbri, hoc traheret succũ coctũ vel crudũ adhuc celerius ad sese; si tali pacto obtingat, erit succus ad alendũ ineptus: vtputa si iecur ĩ caliditate quodãmodo excesserit, chylũ à vẽtriculo nondũ elaboratũ rapiet, quo nõ nutriet vtiq; , sed

Gal. 5. de loc. affect. cap. 7.

pro ſui nutritione (vt Galeni verba referam) abutetur illo, neque cæteræ corporis partes hanc ob cauſam nutriri quibunt: quum ſit ſuccus iſte contumax ſecundæ concoctioni, qua coctione opus eſt: ad ſuccum parandum pro membris enutriendis. Quapropter ij qui ſunt ætatis vigore valentiorem calorem habent: pueri verò ad vſum ſufficientem, veluti ſcriptum eſt à Galeno in tertio de ſympt.cauſis cap.3. At ſi quãdo ſuccum probè confectum, traxerit Hepar pluſquam par ſit, fiet eo tempore aluus ſiccior. Si verò defecerit in caliditate, vel magnus erit defectus; vel paruus: ſi ſit huiuſmodi, tardius iuſto trahit; ſic membra nutritionem intempeſtiuam modicamque ſuſcipient. ſed ſi magnus fuerit defectus, nulla prorſus attractio fiet, nullaque pœnitus nutritio: & fluxiones gignentur, quum iecur ob maximam caloris imbecillitatem attrahere non valeat, vt ediſſerat Gal. ſexto aphoriſmorum commentario ſuper Aphoriſmum decimumſextum. Membrum, è quo trahitur alimentum, requiritur in humido temperatũ, vt attractionem permittat; alioqui nulla

Gal.2.aph.2.

Gal.5.de loc. affec.cap.7.

Gal.5.de loc. affec.cap.7.

la vel tarda nutritio ſuccederet. Materia alimentaris attrahenda ſubſtantiæ ſit mediocris, nec in quantitate modũ excedat; ſed in qualitate, benigna exiſtat. Subſtantia mediocris appellatur (Medicorum more) quæ media eſt inter craſſam ac tenuem: tenuior ſiquidẽ fluxilis admodum reddetur: Craſsior autem alendas partes peruadere non poterit. Mediocris quantitas exigitur; quia ſi nimia fuerit eius copia, neque à membris enutriendis, neque ab ipſo calore, regulari vnquam poterit. ſi pauca; quantum ſat ſit non nutriet. Qualitas benigna eſt, per quam familiaritas ineſt alimento cum membro quolibet enutriendo. Tale vt ſit alimentum neceſſe eſt, ad euitandum id, quod præcipit Galenus cauendum in ſecundo Aphoriſmorum Hippocratis Aphoriſmo decimo ſeptimo, hunc in modum inquiens. Alitur enim quæque pars à cõueniente & familiari naturæ ſuæ alimẽto, quod merito nos ſecundum ſuam cuique parti naturam eſſe dixerimus. ſi itaque ad eam affluat ſuccus quiſpiã, qui alteri particulæ ſit ſecundum naturam, ſed huic præter naturam & alienus

exiſtat

exiſtat, malò certè quidem is particulæ fuerit; quemadmodum Mandragora, papaner, & ruta &c. Via ſiue Ductus per quos alimentum ducitur; ne ſint latiores, nec arctiores quàm deceat; quia ſi nimium lati fuerint, ocius trahetur ſuccus, qui poterit eſſe incommodus dupliciter, vel propter ſui cruditatem, vel ob celeritatem ipſius motus; nam impetu quodam recens, alendæ parti approximabitur; quam denique infeſtabit. Crudus erit ſuccus, quia modicè per meatus illos atque canales imorando non ſuſcipit in ijs vlteriorem, concoctionem, quæ ſit nutritioni conueniens; Quoniam recipit in vaſis ipſis coctionem magis exactam præter eam quam in Hepate ſuſcepit; licet hæ, non duæ dicantur coctiones inter ſe diſcrepantes; vna tantum eſt coctio ſecunda, quæ & in Hepate celebratur & in venis ipſis; ſed quæ fit in venis, dicitur ſecundæ concoctionis perfectio, non autem alia concoctio, neque à ſecunda coctione differens. Inſtrumenta Attractioni ſubminiſtrantia ſunt ipſi villi. Hi, triplici differentia potiſsimum diſtinguuntur:

Gal. de bono & malo ſucco cap. 5.

tur: alij, Recti ſunt: alij obliqui: Tranſuerſales uonnulli dicuntur. priores deſeruiunt Attractioni. Reliqui verò duo, vt cæteris operationibus Expulſioni videlicet ac Retentioni deſeruiant inſtituti ſunt, ſicut habebimus inferius. Modò de Retentrice, deque eius operatione dicamus.

De retentrice facultate, & retentione. Cap. VIII.

Poſteaquàm de attractrice Facultate, ac de illius functione ſeamonẽ habuimus, poſtulat ordinis ratio, vt de Retentrice, necnon de Retẽtione dicamus. Retẽtrix igitur facultas, eſt animę vis quędam, quæ media elementorũ tẽperata qualitate retinet ſuccos, vt ad alẽdas corporis partes ipſi parent. In Retẽtione, quatuor neceſſario admittũtur, Mẽbrũ quod retinet: Materia q̃ retinetur: Inſtrumẽta, per quę fit retentio: Et tempus retẽtioni competens. Membrũ in ſicco temperatum requiritur; quãdoquidẽ, ſi in hoc excederet, fieret materię ſuppreſsio; vnde ſenũ corpus ad hanc actionẽ malè cõparatũ eſt, quia ſiccius exi-

exiſtit. Si verò deficeret, ſequeretur alimenti prolapſus: propterea pueris dicebat Galenus 3. de ſymptom. cauſis cap. tertio.) adeſt retentricis imbecillitas. Materia, penes ſubſtantiam, optimi ſucci ſit, vt euitetur cachochimia: Penes quantitatem eadem materia moderatè concurrat, ne oriatur plethoria, vel retentricis debilitas indeſequatur. Inſtrumenta inſeruientia nutritioni ſunt obliqui villi; quatenus ex obliquo collocati ſiſtunt ſuccum ne crudus, vel ſemicoctus labatur. Tempore, opus eſt huic actioni, nam ſi diutius retineatur ſuccus, cæteræ corporis partes (ob indigentiam) iacturam patientur. ſi citius; Materia vel diminutè cocta, vel cruda prorſus ſeceſſerit. ſi priori modo (vt de ventriculo exemplum afferam) materia ſecedat, cauſabitur fluor ille, quæ cæliaca, ideſt, ventralis affectio dici ſolet. ſi poſteriori modo, affectus orietur qui lienteria, ſiue inteſtinorum ac ventriculi leuitas appellatur. Hæc pauca de his ſint ſatis; qui quum de altera facultate tractandum ſit à nobis: ſi hoc prius addidero, quòd hæc prædicta facultas vt

expul

expultrix quoque concoctioni miniſtrant.

De concoctrice Facultate & concoctione. Cap. IX.

NON ſecus ac facultas attractrix & etiamnũ retentrix, eſt Concoctrix ipſa ſiue Alteratrix facultas, vis animæ: at hæc ope temperamenti rem alimentarem pro corpore nutriendo tranſmutat. Iſtius etenim actio nimirum Concoctio triplex eſt; Alia poſtrema, quæ & tertia nuncupatur, ac in parte corporis qualibet conficitur: Alia ſecunda, quæ in Hepate & venis ad vniuerſam membrorum diſtributionem celebratur: Alia prima, quæ omnium communiſsima & in ventriculo & inteſtinis fit, quippe cum veram concoctionem in ore minime fieri arbitremur; ſed potius in ore præparatoriam actionem quandam ad coctionẽ ipſam effici, quam leuigationem Galenus appellat, aſſeueramus: Coctiones omnes ad integram exactamq; corporis

Gal. 5. de loc. affect. cap. 7.

Gal. 1. de ſan. tuend. cap. 2.

Gal. de bonit. & vitio ſucc. cap. 5.

Gal. 4. de uſu part. cap. 17.

poris nutritionem exquisitas fore ducimus; Quarum summa cognitio ab excrementis propriis peculiaribusque desumi potest. Indicant porrò excrementa quælibet suarum partium constitutionem vt videre est apud Galenum in primum de morbis vulg. comment. 2. Excrementum tertiæ concoctionis præcipuum est id quod per halitum digeritur ἀτμὸς διαπνοῆς græcè uocatum. Verum quia istud obscurum est, & sensus nostros latens; de eo ne verbum quidem habuero: sed de altero loquar minus præcipuo, magis tamen euidenti, qui & sudor dicitur. Iste enim totius corporis excrementorum cognitionem præbet ex Galeni sententia in libello de constit. artis Medicæ. Sudoris igitur cognitionem à duobus pendere, à quantitate inquam ipsius, & ab eiusdē qualitate censemus: sudoris quantitas copiosa esse non debet, sed mediocris: indicat sudor multus humorum nimietatem in corpore existentem. A qualitate sudor bifariam cognoscitur à qualitatibus primis nempe, & à secundis. A primis, calidus ne sit neque frigidus; prębent documentum hoc Hippocr. &

Gal.1.de san. tuen.c.2.c.2.

Gal.1.aphor. 15.

Gal.1.de san. tuen.ca. 12.

Gal.4.aph.4.

Gal.4.

Galen. quarto Aphoriſmorum, aphoriſ. quadrageſimoſecũdo namque ſudor frigidus, non exactè coctos oſtendit humores: Calidus, extraneam qualitatem ſignificat. Tepidum ergo ſudorem fore neceſſe eſt. A ſecundis qualitatibus ſudor nobis innoteſcit, à ſapore, colore, atque etiam ab ipſius odore. ſit ſalſi ſaporis cum pauco amarore, colorisque pallidi vt docet Galenus 10. de facult. ſimpl. medic. cap. de ſudore. Apparet huiuſmodi ſapor dicit ibi Galenus dum nolentibus quandoque ſudor in os defluit. Ab odore ſudoris cognitio deſumitur; quoniam ſi graue oleat ſudor, putredinem aliquam demonſtrat. vt boni itaque odoris exiſtat operepretium eſt. Et hæc de modis cognoſcendi perfectionem tertiæ concoctionis dicta ſint; quæ nil aliud eſt, quàm conuerſio humorum in materiam ad membrum quodlibet enutriendum idoneã. Ad eiuſmodi coctionem perficiendam duo neceſſaria ſunt: vnum quòd materia concoquenda, fuerit abſolutè in Hepate concocta, vel ſi ſit aliquis in eo commiſſus error, is adeò paruus exiſtat, vt in partibus alendis

Gal. 1. de ſan. tuen. c. 2.

corri-

corrigi queat. Alterum eſt vt membrũ ſit ijſdem præditum cõditionibus quas antea de membro & corpore nutrien-
Gal.1.de ſanituen.c.12. do poſuimus. Excrementum indicans perfectionem ſecundæ concoctionis, quæ fit in iecore, duplex eſt Aliud gib
Gal.5.de loc. affect.cap.4. bæ partis, Aliud verò concauæ; Iſtud per inteſtina dimittitur; id tunc perfe-
1.de ſanitate tuen.cap.2. ctam indicabit coctionem quum ſuis abſolutum fuerit numeris, de quibus ſermo habebitur, vbi de prima concoctione nobis locus erit. Excrementum gibbæ iecoris partis per vaſa vrinalia q̃
Gal.de renum affect. dicuntur à Græcis ουρηθηρες, & per ueſicam extra corpus pellitur, vocaturque ab omnibus vrina; iſta, vt perfecta iudicetur, plures conditiones admittit; quarum primam à quantitate deſumit:
Gal.1.de criſi cap.12. Secundam à qualitate: Tertiam à ſubſtantia ſuſcipit: Quartam & poſtremã ab ijs quæ in ea cõtinẽtur, capere licet. A quantitate, ſi vrina correſpondeat aſſumptis in cibo & potu dummodo hæc in quantitate conuenienti ſumpta fuerint. A qualitate, bifatiam obtingit: ab odore: & colore: ab odore, non fateat: à colore, ſit palearis vel aurei coloris. cæteri colores ſunt alieni. Ter-

tiam

tiam à ſubſtantia: vrina media ſit inter craſſam ac tenuem: craſsior enim demonſtrat vel admixtionem craſsioris humoris adeſſe; vtputa phlegmatici, ſeu melancholici: vel aduſtionem quandam oſtendit, in qua ſubtiliores partes aereæque defluxerint, ijs duntaxat permanentibus quæ craſſæ ſunt atque terreſtres: aut frigiditatem nimiam ſignificat. ſi verò ſit vrina tenuior, indicat vel permixtionem ſubtilioris materiæ; vt bilis, & huiuſmodi: vel quia non eſt abſolutè cocta materia; & ita ſeroſa, ac admodum liquida percipitur; Concoctio namque ſemper incraſſando procedit. Quartam à contentis in ea, indicationes ſumit vrina penes duo: Alterum ex parte illius quod continetur: Alterum ex parte loci qui continet illud. Locus continens penes ipſius differentias diuiditur, ſuperiorem ſcilicet, inferiorem, & mediũ; adeo quòd ſi contentum in ſuperiori loco inſpiciatur, indicabit tunc agitationem quandam, ſiue flatum in humoribus ipſis; dicitur; tum nepheli ſeu nebula: ſi in medio conſtiterit, eneorema ſiue ſuſpenſio vocatur; iſta, flatuoſitatis quoque

ſignum (etſi minoris) præbet. In loco igitur inferiori reſidere cum modica eleuatione oportet. Iſtud profecto (ratione loci) perfectam coctionem declarat, & hipoſtaſis ſiue ſedimẽ appellatur. Ex parte contenti duo conſiderantur: vnum, quod eſt ſubſtantia: Alterum, Qualitas ipſius. Qualitas adhuc iuxta duo, colorem inquam, vel grauitatem ac leuitatem iudicatur. Quoad ſubſtantiam, contentum æquale ſit, adeo vt omnes ſui partes ſimul ſint annexæ, ac in vnum adiunctæ, nulloque modo diſperſæ cernantur. Quoad colorem, album eius colorem eſſe neceſſe eſt, vel rubrũ aliquantulum, ſicut in illo Aphoriſmo videtur Hippocrates aſſerere. Quibus in die ſeptima futura eſt criſis, ijs vrina rubram in die quarta nubeculam habẽs apparet. ſit demum leue, non graue.

4. Apho. 71.

Hactenus dictum ſit à nobis de modis dignoſcendi ab iis quæ excernuntur, ſecundæ coctionis in iecore, & venis conficiendæ perfectionem, quæ nil aliud eſt quàm tranſmutatio chyli in humores, medio tamen calore, ac ipſius iecoris ſubſtantia; quæ duo ad gignendam humorum congeriem neceſſario concurrunt,

runt; vt chylum ſcilicet in vena Portæ ab Hepatis calore ad ſanguineum colorem modicè verſum pertingat iecur: ipſumque poſtea ſui ſubſtantia perficiat. Hanc ob cauſam conſtituit natura iecur non cauernoſum, ſed ferè planum, quo commodius chyloſa maſſa totum iecur pertingeret. *Gal. 4. de uſu part.*

Amplius conditiones aliàs (præter has) ad huiuſmodi concoctionem perficiendam neceſſe eſt eſſe; quæ ab Hepate & chylo ducuntur. Hepar, eadem conſtitutione præditum fore operepretiũ eſt, quam de ſingulari membro in quo tertia concoctio perficitur prius adduximus. Chyloſæ materiæ conditio eſt, vt ea ſit in ventriculo perbelle concocta; vel ſi quid ventriculus in ea coquenda iam defecerit, illud modicum ſit, ita vt Hepate recuperetur; in quo ſecunda concoctione, (quę abſoluitur in eo) exactè concoqui valeat. Primam concoctionem in ventriculo confici dicimus: at hæc iudicatur nunquid exquiſita ſit per eius excrementa, quæ nominantur fœces. Ad has itaque recurrendum eſt; propterea quòd negantes nos corpus eu-

Gal. de bonit. & uitio ſucc. cap. 5.
Gal. introduc.
Gal. de bo. & mal. ſucc. c. 5.

cratum, ideſt ſumme temperatum
Gal.5.apho.5 dari, exiſtimamus tempus inſtitutum perſcribi non poſſe, quo, in ventriculo coctio fiat: credimus tamen eam celerius tardiusque perfici pro; temperatura magis minusque ad eucraſiam accedente; Quorum teſtimonio ſunt verba Galeni de ventriculo 3. de diebus decretoriis cap. 8. At quum naturali habitu fruitur, perfectæ concoctionis tempus, ipſius recrementorum expulſionis terminus eſt, quem neque præuenit, neque præſentem adhuc moratur. Conditiones fœcũ indicantium perfectam ventriculi coctionem à quatuor deſumuntur: Ab eorum ſubſtantia: à
Hippo. in prognoſt. c. 2. tex. 13. Quantitate: Qualitateve: & ab ordine
Gal. 1. aphor. 12. ſeruato. ſi molles fuerint compactæ, ac æquales; optimæ fœces in ſubſtantia cẽſentur. In quantitate, ſi ingeſtis eduliis reſpondere videantur; eo magis ſi edu-
Gal. 1. de criſi cap. 11. lia & excreta fuerint mediocria. In qua-
Gal. 7. metho. litate, ſi fœtidum non emittant odorẽ, neq; determinatum colorem obtineãt; ſed figurata extiterint, nec in exitu ſtridorem emiſſerint, neque ſpumoſæ appareant; quoniam & ſtridor & ſpuma ex
Gal. de nat. facult. mala concoctione oriuntur: oſtendunt

equi-

equidem ambo hæc flatum cum tenui humiditate permixtum. In ordine excretia demonſtrant optimam concoctionẽ ſi tempore atq; hora conſueta exierint Quæ omnia faciunt, ad cognitionem etiamnum perfectionis excrementi in concaua iecoris parte geniti; quod ab eo per meſarei venas mittitur ad inteſtina. Hæc dixiſſe volui de modis noſcendi perfectionem omnium cõcoctionũ; ſed nouiſsime concoctionis ventriculi: Quæ nil aliud eſt quàm conuerſio eius quod comeditur & bibitur (per alterationem) in chylum à naturali calore vẽtriculi, cui opitulentur ſpiritus continuè fluentes. Ideo Gal. in arte Medica protulit hæc verba. ventriculus optime concoquet, ni Hepar & cor obſtiterint; ad quam pariter concoctionem nõ mediocriter conducit ventriculi ſubſtãtia. Cæterum vt exacta concoctio fiat, duo potiſsimum exigimus. Primum, ventriculum probè conſtitutum. Secundũ, cibaria ipſa ad concoquendum idonea. Intelligamus nomine cibariorum non modò quæ comeduntur, verumetiam quæ in potu ſumere conſueuimus; de quibus dicemus poſtea, quum de ma-

Gal. 1. aphor. 12.

Galen. 3. de ſympt. cauſis cap. 3.
De diff. ſymp. 4. cap.
Gal. 2. de facult. nat.
in 6. de morb. vul. comm. 4.
in progn. cõ. 1.

teria alimẽti remotiori loquemur. ventriculi ad coquendum optima conſtitutio habetur tum ratione ſui, tum ratione alterius. Ratione ſui, adhuc dupliciter: vel penes id quod continetur in eo: vel penes partes vniuerſum ventriculum conſtituentes. Primo modo per accidens. Secundo verò per ſe ad ventriculi conſtitutionem dicitur. Penes contentum in eo trifariam conſideratur adhuc: vel enim illud genitum eſt in ventriculo: vel in toto corpore ſeu parte aliqua, ad ipſum tamen ventriculum confluxerit. Debet itaque ventriculus (vt ſit bona diſpoſitione conſtitutus, & coctionem conficere queat) quibuſcunque prauis humoribus ſucciſque priuari; quos iam elapſo tempore ex ineptis cibarijs, vel aliis de cauſis impeditus ipſe genuerit, aut ij aliunde regurgitauerint ad eum: quæ conditio per accidens ac priuatiuè requiritur. Penes ipſius ventriculi partes (præter influentes ſpiritus) intelligere oportet ſimilares & inſtrumentarias, atque his cõmunes. Penes ſimilares, ventriculum temperatum fore neceſſe eſt; quandoquidem ſi ipſe frigidior fuerit, cruditates gignet

quam-

quamplurimas; si verò calidior extiterit, cibaria corrumpet quæ temperata sunt, ac facilia coctu reperiuntur: sin humidior, fluxiones gignet: si denique siccior, alimentum pro membris enutriendis paratum non reddet. Calor igitur ipsius, à quo celebranda est ipsa concoctio, temperatus esto; intelligendo de complexionali calore & influente. Penes instrumentarias partes, sit probè compositus; adeo quòd nec vllus vnquam tumor præter naturam in eo appareat, qui coctionem profectò impedire queat. Penes vtrisque communes, vt sint optimè coniunctæ, nec aliqua solutio continuitatis adsit; alioquin fieret coctionis frustratio, & alui fluores subsequerentur. Ratione partis alicuius, bifariam contingere potest: vno modo vt altera pars mittat ad ventriculum id quod mittere non debent, prauos inquã humores, ac alteratos spiritus: alio modo, vt id non mittat quod mittere tenea tur, caloré nimirũ influentẽ: & hoc erit quãdo altera pars fuerit in similaribus, aut instrumentarijs alteratione quadã, vel cõtinui solutione; vtputa vlcere, seu vulnere illato, aut id genº simile affecta:

à quibus omnibus inuicem coeuntibus, vel ab iſtorum pluribus, vel vnoquoq; ſeorſum accepto, coctio in ventriculo impeditur: vt ſi Hepar calidius extiterit, itidemque ſcyrrhum, aliumve prę ter naturam tumorem patiatur, vel pla gam aliquam acceperit; aut ob acrem humorem continui ſolutione affectum fuerit; vel ob membrũ aliquod læſum, ſit impeditum; quoniam dicetur tunc ventriculi coctio non ex ſe, ſed ex alterius ratione; aut per conſenſum, vel cõ ſortij lege impediri. At hic notãdi ſunt modi, quibus aliqua pars, vel ipſius ſun ctio lege conſortij lædi poſsit. Primus eſt ratione identitatis ſubſtantiæ. Secundus, ratione propinquitatis. Tertius communitatis officij. Quartus ratione vtriuſque, vicinitatis nimirum atque officij, ſiue operationis. Exemplificatur enim primus modus in inciſo vel compuncto neruo; nam fit conuulſio tunc per conſenſum ratione ſubſtantiæ conſimilis; quum nerui omnes in ſubſtantia communicent: id non euenit in carnoſa parte, quę ſi pungatur, haud neceſſario læditur neruus. Exemplum ſecundi eſt; læſo ventriculi ore, læditur ob

vicini-

vicinitatem cor. Tertius modus hoc exemplo monſtratur, læſis vteri venis vel propter obſtructionem, vel propter quid aliud: venæ in mammis ob officij communitatem læſæ videntur; quum eæ ſanguinẽ deferant ab vtero ad mammas pro lacte conficiendo. Hinc dixit Hippocrates. Mulier quæ nec prægnãs eſt, neque puerpera, & lac habeat ei menſtrua defecerunt. Poteſt huic aliud exemplum addi. Eſto quòd lædatur ex obſtructione neruus in nuca; actiones ſenſus vel motus partium nucæ ſubiectarum illicò lædi manifeſtantur. Quarti, poſtremique modi exemplum de omento ſolet adduci, quod ſi lædatur; ventriculi coctio lædi neceſſe eſt; quoniam omentum poſitum eſt ad ventriculi fundum, vt huius calorem per ſpiritus ab arteriis in eo congenitis ad ventriculum fluentes pro coctione perficienda foueat. Tandem, ad rem ipſam redeuntes dicimus quòd cibaria quæq; vt ad coctionem idonea cenſeantur, plura numero requirunt, quorum notæ ſumuntur ab eorum ſubſtantia: A quantitate: necnon à qualitate: à modo vſus: ab ordine; Et temporis occaſione.

Gal. 5. aphor. 37.

A ſub-

A ſubſtantia; quoniam ſi ſumatur aliquod coctioni contumax; non concoquetur ſtante adhuc optima ventriculi diſpoſitione: veluti ſi deuoretur (quemadmodum dicit Galenus) uuæ acinus integer, talis forſan exibit qualis ingeſtus fuit. Id non culpa ventriculi, ſed cibi ad cõquendum inepti cauſa continget. Sit igitur eorum quæ ingeruntur ſubſtantia mediocris: tenuior ſiquidem incraſſari non poterit, neque etiam concoqui. Verum tamen corpus quum abſolute diſpoſitum, nec temperatum omnino reperiatur (vt aliàs explicauimus) diciturque nihilominus illud ſumme diſpoſitum quod ad æquale magis accedit; cui ſimilia ſuæ naturæ cibaria conueniunt. Galenus tertio. de facultat. ſimplic. alimentor. capit. quadrigeſimo primo. Illi verò quod prauam temperiem aut ab initio fuit ſortitum, aut poſt acquiſiuit, non ſimilium ſibiipſi eſus; ſed contrariorum eſt vtilis. Seruatur enim ſimilibus quod probè ſecundum naturam eſt temperatum; quemadmodum quod male eſt temperatum à contrariis ad proprium temperamentum adducitur; hoc

1. de lo. affec. cap. 4.

ibi-

ibidem dixit Galenus : cuiuſmodi eſt ventriculus, ſi in caliditate defecerit, ei non craſſus neque denſus cibus præbendus erit. Propterea ſaxatiles piſces tũc in eduliis rectè conuenient, caro autem bubula nequaquam. ſi vero exceſſerit in caliditate, cibariorum ſubſtantia craſſior conuenit, ſuapteque natura coctioni reſiſtens; quandoquidem ſi id forte exhibeatur in cibo, quod leui negocio concoquatur (in quo genere ſunt ſaxatiles piſces) corrumpetur. Caro autem bubula tanquam cibus acri ipſius ventriculi calori competens belle concoquetur. Hoc habetur ex Galeno ſecundo Artis Medicinalis inquiens. Calidior verò natura ventriculus magis concoquit quàm appetat, & multo magis quæ dura ſunt, & non facile alterationẽ ſuſcipiunt; nam, quæ facile alterantur, in ipſo corrumpuntur. Ita quoque de ciborum quantitate nobis dicendum eſt; ſi namque ventriculus ſit temperato præditus calore æquam cibariorum quantitatem expoſcit; ſi verò non temperatus ei calor inſit, adeò quòd mediũ inter exceſſum & defectũ non obtineat: Pro eiuſdẽ exceſſu defectuq; cibariorũ quan-

Gal. 1. de alimẽ. facul. c. 1.

quantitas erit ei perſcribenda; & ſi hæc ſcitu difficilis ſit vt aſſerit Gentilis. Omnium ciborũ quantitas duplex eſt: quædam continua dicitur: quędam diſcreta nuncupatur; quarum neutra ad vnguem perſcribi poteſt ob inæqualem tẽperaturam & variam, quam in humano genere dicimus reperiri. Quare nonnullas regulas præbeamus, quibus dicta quantitas regulari poterit. Præter hãc nuperrimè poſitam indicationem, penes temperatã nempe ventriculi conſtitutionẽ, ſumptam, ac eiuſdem exceſſum defectumve, adeo quòd ſi ventriculus exceſsiuè calidus extiterit, maiorẽ ciborum copiam & ſępius expetit. Contra verò, vbi ventriculi calor imbecillior percipitur, eſt agendum. Temperato autem mediocrem exhibebimus quantitatem: ſecundum ſumimus canonem ab anni tempore: tertium ab ætate: à regione quartum: quintum ab ipſa conſuetudine: ab arte poſtremum. Regio enim multum conducit ad hoc; quoniam ſi corpus probe temperatum ſumatur, tale ſeruari oportet ex Galeni præcepto ſecundo de ſanit. tuenda, qui dixit, Optimũ eorporis ſtatum non alte-

Gal. 3. de ſym pt. cauſis c. 3.

cap. 12.

alterandum, ſed ſeruandum: at eiuſmodi corpus niſi in regione probè temperata conſeruari non poteſt: Id quod manifeſtè fatetur Galenus in ſecũdo de ſanit.tuenda cap.7.dum ait. Hippocratis patria, quia eſt probè temperata, conuenit corpori optimè conſtituto; cui quidem in frigidiori calidiorive Regione poſito, mediocrem ciborum copiam ſanè præbere non licet; ſed in frigidiori maiorem ac ſæpius exhibere, ob caloris vim validiorem, qui ab ambiente aere per antiperiſtatim ad interiora mẽbra detruſus, altius inſederit. Quare dormientibus concoctiones efficacius fiũt, vt conſtat per verba Galeni hũc in modum exarata. Quòd autem eorum plerique qui laboribus ſeſe confecerunt, à prauis cibis minus lædãtur, in cauſa eſt quòd iis ſomni ſint profundiores. Quæres ad coctiones multum adfert momẽti: quòd ſi inſomnes ipſos plures ordine noctes ducere coegeris morbo ſtatim corripientur primo de facult.ſimpl.aliment.cap.2. In regione autem calidiori, minus cibi & rarius offerre expedit propter natiui caloris vim imbecillam; qui ad extimas corporis partes per halitum

tum diffuſus coctiones abſolutas efficere non valet. Proinde Lituani, Poloniq́ue plus ac ſæpius comedentes in natiua ipſorum Plaga, quàm hic Romæ; magis meliuſque nutriuntur, atque longè ſaniores ibi degunt. iiſdem rationibus anni tempus eadem nobis dicenda
Gal. 1. aphor. 15. eſſe demonſtrat. Totum anni tempus in quatuor partes, eaſque præcipuas ſegregatur: in Ver, Aeſtatem, Autumnum, atque Hyemem ipſam, ſed quatenus ad cibationem ſpectat, in duas dũtaxat ſecemus tempus ipſum; quemadmodum ab ipſomet Hippocrate diuiſum quoq; fuiſſe didicimus. ſub prima enim parte is duo membra collocauit. in ſecunda verò, reliqua duo concluſit, dum inquit. ventres hieme & vere na-
1. apho. 15. tura calidiſsimi ſunt &c. Poſtea ſubdidit. Per ea igitur tempora plus cibi da-
1. apho. 18. re oportet. Alio loco ait. Aeſtate & Autumno, cibi copiam ferunt difficillimè, Hyeme facillimè, vere minus. Hæc duo tempora Regioni frigidæ correſpõdent; quamuis poſſet aliquis de vere addubitare aſſerens Ver temperatum cerni. Fatemur id nos de medio veris dici poſſe; & hanc ob cauſam ver tem-

pera-

peratæ Regioni consentire. pars verò eiusdem Hyemi propinquior frigida est. Hac itaque ratione, Hyeme & vere multum cibi conuenit & sæpe; sed vere minus. Aestas & Autumnus calidæ Regioni consentire videntur: idcirco parum & sæpe ijsdem temporibus corpora cibantur. Aetatis diuisio de quantitate cibandi nobis normam præbet: nam ætas matura, quia media est inter augendum & declinandum, mediocrem cibi quantitatem postulat: Aetas verò puerilis seu adolescētiæ nuncupata, maiori indiget nutricatione; inde maior cibi copia & sæpius ei competit. sumitur hoc ab Hippocrate dicente. Qui plurimum crescunt, multum habent calidi innati, ideo maiori egēt alimento: & à Gal. de sympt. caus. q pueri quia corpora habent calida & humida, celerrimè nutrimentum alterant, in se recipiunt, agglutinant, & assimilant. Senectutis ætas, minori caloris copia prædita est, minorique indiget alimonia; hinc fit quòd pauca ciborū quantitate pariter indigeat; cui quidem sententiæ suffragātur eiusdēmet Hippocratis verba, senes facillimè ieiuniū ferunt. *lib. 3. c. 3.* *Gal. 4. de sym pt. cau. c. 3.*

Consue-

Consuetudo in cibatione despiciẽda nõ est, immo maximopere considerãda; quandoquidem ipsa sit altera natura; quam si quis commutare tentaret, corpori nostro admodum officeret. vnde dixit Hippocrates. semel, multum, & repente vel vacuare, vel replere, vel quouis alio motu mouere, periculosum est; ex quibus infert mutationem à consuetudine periculo non vacare. sed alibi clarius. Consueta longo tempore, etiam si deteriora sint, insuetis minus molesta esse solent. Et alibi ait. Qui soliti sunt prandere, & non prandeant, imbecillitatem corporis percipiunt, & animi prostrationem. Qui verò semel in die cibari solent, si pluries cibum capiẽt corporis grauedinem sentient. Quantũ indicet ars ipsa de cibationis quãtitate, adeò sensibus patet, vt nulla demonstratione, nullaque mentis agitatione res egeat. Videmus etenim Rusticos, eosq; pariter qui artem aliquã in aquis exercent, plus ac sæpius comedere, quàm ij qui in ocio degunt. Hi sunt scopi, siue indicationes omnes, in quibus cibandi quantitates versantur. Possunt nihilominus & breuitatis studio, & necessi-

Gal. in lib. de consuet. c. 2.

De rat. vict. in morb. acut.

tatis

tatis causa cunctæ ad binos fontes reduci: Ad alterum, qui virium robur demonstrat: & ad alterum, qui humorum copiam in corpore existentem declarat. Quorum vtrumque uirium robur scilicet & humorum copia iterum diuiditur: Robur virium, aliud validum est, aliud imbecille: Humorum pariter copia; alia exhuberans; alia deficiens. His inuicem copulatis, canon de quantitate cibandi corpora insurget; nam si virium robur debile extiterit cũ humorum abundantia dempta illorum corruptione (quia de sanis est fermo noster institutus) tunc parum & raro prębebimus alimentũ: Raro inquam, propter humoris nimiam copiam hoc indicantis: parum, ob virium ipsarum imbecillitatem, à qua modica cibi quantitas parari, conficique potest. si virtus valida cum humorũ extiterit defectu; & cibaria multa & sæpe corporibus sunt adhibenda; quum roboris vis magnam cibi copiam ferre queat, & humorum defectus sæpissimam ciborum sumptionem postulet; sin virtus fuerit imbecillis cum humorum inopia, parum ac sæpe cibum dabimus: nimirum sæpe, id

indicante defectu: parum, virtute conco quere multum & euincere non potente. Si verò virtus valida fuerit non sine humorum copia, multus sed rarius cibus dandus erit: multus propter virtutem, quæ illud euincere potest: rarius verò propter humorum copiam corpori inexistentem. Ex his, itaque duobus scopis, virium nempe robore, & humorum copia conuenientem ciborum quantitatem (vt vidimus) perscribere poterimus. Nunc de qualitate cibariorum dicamus. Qualitas istorum temperata esse conueniet, loquendo tum de primarum qualitatum temperatura, tum de corpore temperato, cui cibaria offerre intendimus: nam si fuerit corpus quod mediam temperaturam non obtineat, cibum requirit excedentem in qualitate opposita qualitati excedenti corporis nutriendi: quia sicuti corpus temperatum per simile conseruari oportet: ita & per oppositum auferri quod excesserit: vt puta si ventriculus in qualitate calida excedat, offerendus est ei cibus in frigido excedens ad gradus caliditatis excedẽtis ventriculi, vt ex istis contrarijs

Gal. 3. de facul. simpl. alimen. c. 41.

inuicem

inuicem pugnantibus calido videlicet ac frigido, temperatum quoddam medio resultet. Id autem est quod à Galeno, primo de Facult. simpl. aliment. capit. primo, dictum fuit. Si enim hominis corpus medij planè sit temperamenti per alimenta medij temperamenti eo in statu seruabitur: verum, si id frigidius, vel calidius, siccius, aut humidius fuerit, medij temperamenti cibum, & potum perperam exhibueris: quippe huiuscemodi corpus quatenus ab exactè media constitutione recesit, eatenus in diuersum statum traducatur est necesse: fiet autem id per præsentis distemperantiæ cõtraria. Contraria autem pari interuallo in vtraque oppositione à medio in vtranque partem secedunt: vt si corpus tribus (verbi gratia) numeris à temperata ac media constitutione ad calidiorem secesserit, totidem cibum quoq. à medij temperamenti cibo ad frigidiorem secedere erit necesse: sin verò quatuor numeris ad humiditatem discesserit, totidem cibum mediocri ficciorem esse conueniet. Cęterum, ciborum qualitas duplex: quædam manifesta dicitur quatenus

calida eſt vel frigida, &c. de qua vſque ad hunc terminum loquti fuimus: quædam dicitur ipſorum qualitas occulta, de qua nunc exempli, duntaxat gratia dicamus. Aurum, & lignum guaiacum (ferunt omnes) poſſe noſtra corpora nutrire, quę benigna quadam qualitate reſpiciuntur ab eiſdem. Cibaria igitur nō ſolum penes manifeſtam eorum qualitatem, verumetiam penes occultā conſiderada ſunt: ſed huius rationem intelligemus, quum de venenis loquemur. ſequamur de modo cibariorum vſus ſermonem. Modus vtendi cibarijs, à tribus deſumitur: à ſubſtātia inquam ipſorum: ab actuali qualitate, hoc eſt à qualitate quæ eis actu ineſt: & à condimentis: maximum præterea in præparatione diſcrimen accidit pro eorum quæ injiciuntur facultate Gal. 3. de Simpl. alimentorum facult. cap. primo. Indicatur primus modus à viribus ipſis: namque ſi vires celeri egeant refectione: non durum cibum, ſed mollem: non ſolidum ſed liquidum præbere licet Hippocratem inſectando, qui dixit. Facilius eſt potu refici quam cibo: vbi Galenus videtur per nomen illud (potu) rem omnem potabilem expli

cuiſſe,

cuisse, ad differentiam solidioris cibi: quod verum esse experientia comproba mus, dum exhibemus alicui ptissanam, contusum, Alicam, Ferculum, ouaq. sor bilia, vel id genus similia: Hæc omnia sub forma potabili sumuntur, pro cibarijs tamen exhibẽtur. Secundus modus ab actuali qualitate bifariam adhuc sumitur: à qualitate nempe actu ipsi ventriculo inexistente: necnon anni temporibus: quoniam si fuerit ventriculus excalefactus, & in æstiuo tẽpore, res haud quaquam prębebimus excalefactas. Tertius modus à condimentis, suscipitur à sapore, ac delectatione, quia si sapore de lectationeq. cibi esitentur, melius concoquentur & nutrient: quum id quod sapit, nutriat, præmissis cæteris conditionibus cibariorum à nobis superius allatis. Quibusdam cibi insuauitas, magna ex parte causa est, quo minus ipsum cõficiant: ob eam igitur causam satius fuerit cibos mediocriter condire, dicit Galenus in secũdo de facult. simpl. alimẽt. cap. 52. Ideo est Hippocratis sententia. Paulo deterior cibus & potus, suauior tamen, melioribus & insuauioribus semper præferendus, quo loci Galenus in-

quit. Quæ libenter,& magna cum voluptate ſumimus, ea arctius amplectitur ventriculus, & retinet, atque facilius concoquit: inſuauia vero & ingrata vt pote nauſeam, vel inflationem, vel fluctuationem parientia reſpuit. Exemplo nobis ſint ea quæ ſale & aneto condiri decet, ſi abſque ſale & anetho comedantur, nauſeam efficient, & cruditates forſitan gignent, quæ ab ipſis condimentis impediri poterunt. Ordo in cibandis corporibus multum refert, quia per ipſum ordinem rectè ſcire poterimus quid prius, quidue poſterius præbendum ſit: hanc ob cauſam liquida, corruptuque facilia in ſumendo cętera precedere debent. Quod ſi contra fieret, hoc eſt ſolida prius liquida verò poſterius capiantur, fluctuatio in ventriculo oriretur, quam ſuper natationem dicimus, inde non bona coctio, nec exacta ſuccederet nutritio. Temporis occaſio in cibatione, valde exiſtimanda eſt: nam ſi quid pro cibo intempeſtiuè offeratur: id nocere poſſe nemo ſit qui dubitet. Quis enim verebitur, ſi ventriculo præteritis adhuc cibarijs onuſto nouus offeratur cibus noxam inducet.

Gal. 2. de facult. ſimpl. alim. c. 2.

De tem-

De tempore, licet non habeamus quicquam præter, nunc, constituitur nihilominus tempus ipsum ex præterito, præsenti, atque futuro. Præteriti in cibatione reminiſci debemus. Futurum præuidere. Præsens inſpicere: præteriti namq. recordati dicimus: iſte paulo ante alitus fuit, ob id abſtineat à cibo: futurum præuidentes, aſſerimus: Hunc nutritum perpetuo cũ illo victu permanere non poſſe, ideo quandoq; cibum ei offerendum eſſe iubemus: præsens inſpicientes, nunc cibum dandum eſſe conijcimus. Reliquum modo eſt, antequam de remotioni materia alimentari pertractemus, vt ea explicemus quæ dicenda ſunt de poſtrema naturalium facultatũ Expultrice vocata: de qua dicere aggredior.

De Expultrice facultate, & Expulſione. Cap. X.

EX ijs, quæ prius de cæteris naturalibus facultatibus dicta ſunt, haud difficulter colligi poterit quid denique ſit Naturalis facultas hæc, quæ ab omnibus

Expultrix nominatur. Ista igitur est (ve luti facultates reliquæ) vix animæ, qua materiæ cuiusdam missio ab aliqua corporis parte ad locum aliquem fieri solet. Expulsio verò duplex est, alia quæ materiam: alia quæ respicit actionem: ista trifariam dicitur: vno modo naturalis tantum, veluti ea est, in qua chylus à ventriculo expelli solet, & ab Hepate, per venas, ad vltimas corporis partes fi ditur: in hac sola natura citra voluntatis imperium operatur; alio modo dicitur prorsus animalis, veluti est excreatio: in qua sola concurrit voluntas & arbitriu nostrum; tertio modo mixta vocatur, vt expiratio, in qua, cordis fuligines expelluntur: in hac etenim expulsione natura operatur cum adhesione nexuque nostræ voluntatis adhuc concurrentis; eo quòd dum volumus expiramus, ipsamq; pro arbitrio nostro expirationem cohibemus; ac deinde, nobis inuitis, expiratio fit ab ipsa natura; simili modo è vesica expulsio ipsius vrinæ fieri conspicitur. Expulsio, quæ respicit materiam: alia est de materia superuacanea: alia de necessaria & vtili, ac per se ad nutritionem constituta. Prima subdiuidi tur in

Gal. 5. de loc. affec. cap. 7.

duas

duas; in excrementitiam, ſuaptèque natura inutilem, quemadmodum ſunt fæces, & vrinæ; & in materiam ſecundum ſui naturam vtilem, ac probam: quæ tamen ſuperflua dicta eſt propter exhuberantiam ipſius, quatenus non eſt eo tempore ad nutritionem inſtituta: cuiuſmodi eſt moderata ſeminis expulſio: Quod autem ſperma ſit vtilis materia, argumẽto nobis eſto dictum Hippocratis, quod a veneris vſu paucula adeo re emiſſa, imbecille admodum reddit animal. Expulſio de vtili materia, & per ſe ad nutritionem ordinata, ea eſt in qua alimentaris ipſa ad aliquod alendum mittitur per ſe; dictum eſt à nobis, ad differentiam eius quæ dicitur excrementitia, & facit ad nutritionem per accidens, quatenus nutribile corpus exhauſtum eſt noxia illa materia, reſiduo permanente bono, & ad nutriendum accommodo. In expulſione, quum fiat motus: ad ipſam efficiendam omnia ea quæ & motui competunt, concurrere eſt neceſſe: primo membrum expellens, vt terminus, à quo: locus, ad quem mittitur, vt terminus, ad quem: Materia, quæ mittitur, vt mobile: Meatus, & inſtrumenta per

ta per quos expellitur, vt ſpatiũ, & medium, per quod; poſtremo tempus eſt in quo fiat expulſio ipſa. Membrum expellens, præter conditiones conuenientes mẽbris optime conſtitutis nobis ſuperius enarratas neceſſe eſt vt ſit in humido temperatum; namque ſi deficeret in hoc, membrum ipſum, expulſio recta neutiq́ue ſequeretur: & ita reliquæ corporis partes alimẽtum minime capſcerent; quam ob cauſam, pueri quia humidiores naturá ſunt, ſenes verò ſicciores habent facultatẽ hanc imbecilliorem q̃ ætate florentes. vel nõ fieret excrementorum depulſio: & hac ratione redderetur materia malè accommoda, ac nutritioni nõ competens. Si verò in humido excederet, expulſio fieret & celerius q̃. conueniat, materiaq́. nondum cocta partes enutriendas adiret: hinc optimæ nutritionis fruſtratio ſuccederet. Locus, vt terminus ad quẽ, vel reſpicit vtilem materiam ac neceſſariã, & hoc pacto intra corpus permanet: vt puta ſi è venticulo ad Hepar, & ab Hepate ad alias vniuerſi corporis partes cõmitteretur. Materia quæ pellitur craſſior eſſe nõ debet, neq. ſupra modũ tenuis, vt moderata expul-

sio fiat: idque tam de materia vtili quam excrementitia intelligendum est. Meatus, per quos fit motus iste, ne sint nimium lati, neque admodum adstricti, ne propter eorum latitudinem expulsio celerior sequatur, siue tardior, propter eorundem coarctationem fiat. Adstrictio (vt declaratum est) vel a vasorum coniuctia naturali, vel ab eadem adscititia oriri contingit: aut per obstructionem ab aliqua re præ sui crassitie constipãte, vel nimia eius quãtitate replente: aut ab aliquo tumore præter naturã ducit origine: vt intestinorũ cauitati potissimũ contingere solet. Instrumẽta, quę huic actioni cõueniũt, sunt obliqui villi, per quos fit expulsio, sicuti per directos attractio fieri notũ est. Requiritur tẽpus: idq. determinatũ: quippe cũ nulla actio fiat in instanti in tẽpore fieri conuenit: expulsio verò actio est: quamobrẽ nemini dubiũ sit quod tempore, & decreto expulsio mensuratur: namque si fieret hęc intẽpestiuè, vt puta celerior, & ad mẽbra mitteretur alimẽtaris succus: is nõ erit ad nutriendũ paratus: vel si is per intesti na crud⁹ expelleretur, ea fluxus species eueniret, quæ lyenteria, idest leuitas in te-

inteſtinorum appellatur; in qua, nulla eſt facta ciborum ſecundum conſiſtentiam, neque ſecundum qualitatem mutatio; adeo quod potulenta eſculentaq; talia deiiciantur qualia ingeſta fuere. Si vero tarda fiat expulſio, extenuabuntur vtique nimium corporis partes, propter egeſtatem alimenti, quod, expulſione, ab altera parte ipſas adire conducebat. Iam tempus inſtat, vt ad id redeamus à quo hactenus diſceſſimus, ad alimentarem videlicet materiam, quam extrinſecam eſſe dicebamus. Cæterum ſatisfaciendum eſt prius ijs, qui quærunt, num vniuerſus alimentaris ſuccus affatim, an ſenſim expellatur dum è ventriculo per piloron mittitur ad inteſtina: quoniam rationi conſentaneum eſſe videtur, illũ etherogeneum, ac diſsimilem inſimul decoqui non poſſe: ſed qui coctu facilior eſt, prius: mox qui difficilior, concoquatur: quo ordine pariter videtur expellendus, ne priũs coctus admodum aſſetur, dum ſemicrudi coctionem expectat. Quibus breuireſpõdentes dicimus, ſi cibaria ingeſta, diſsimilia admodum nõ ſunt, veluti eſt caro pullorũ, gallinaceorũ, ac vitularũ tũc vniuersũ ſuccum

affatim

affatim expelli, nihilo ex ingeſtis edulijs in ventriculo remanente præter id quod in ſuis tunicis ventriculus pro ſaturitate reponit: dummodo expulſio ſecundum naturam fiat. Colligitur reſponſum ex Galeni verbis in coment. de naturalibus facult. hunc in modum antea narratis. Ventriculus ex edulijs ingeſtis familiarem ſuccum attrahit, quem ſuis tunicis reponit: poſtea, hic abundè ſaturatus, reliquum per piloron ad alienum opus demittit. Per illud, reliquum, quid aliud intelligere poſſumus, niſi chylum vniuerſum in ventriculo contentum? Quòd ſi arguerent ij, hoc eſſe maximum abſurdum ob portionem ingeſtorum nondum exactè coctorum; quæ ibi ad abſolutam confectionem vſque, contineri deberent: & hac ratione concludi poſſet quod ea ſenſim, ideſt quæ prius coquitur, deinceps quæ poſterius expellatur. Facilimè reſponſum dabimus, quod tale eſt. Semicocta, perfectionem concoctionis adipiſcitur, dum in anfractibus inteſtinorum demoratur; quę verò ad ſummum decocta eſt, ab exilibus inteſtini ieiuni venis (dum tranſit) rapitur confeſtim. At ſi pertinaces

Gal. 4. de uſu par. c. 17.

ces adhuc essent instando, quod ventriculus nimium exiccaretur, & arescceret, propter calorem, cui nõ esset obiectum in quod agere posset, veluti exemplo de Lebete declaratur aqua, vel re qualibet prorsus exhausto, ac super ignem posito, qui nimis aduritur. Satisfacimus, asserentes natiuum calorem in appositum tunicis ventriculi succum agere, quousque noua cibaria decreto tempore ingerantur, eo quod si longa inedia ventriculus afficiatur, nos quoque fatemur tunc ipsum admodum exiccari: verum eo tempore non ipse naturalis calor, sed is qui tali victus regimine vtitur, crimine afficiendus est. Sed forsan dices, succum in membranis ventriculi repositum, haud esse obiectum calori proportionatum, & hoc pacto responsum ruere existimabitur. Dicimus & paucis hanc adductam rationem pro nobis facere; quoniam in huiusmodi succum agens ipse calor, minus repatitur ab illo, sitque validior ad ea quæ iterum ingeruntur concoquenda. Concludamus igitur totum succum chylosum è ventriculo per piloron ad intestina depelli, & hunc ex intestinis per mesara-

Gal. 5. de loc. affec. cap. 7.

ſaraicas venas necnon venam portæ ad iecur traſmitti; hinc demum per venas vniuerſi corporis ſingulas partes adire. Si verò cibaria ſumantur quæ ſint inter ſe magnopere diſſimilia, vt ſunt ouaſorbilia, & caro bubula, oua prius ſumpta coquentur, egredienturque prius quam ipſa bubula. De reliquis dicamus.

Extrinſeca alimentaris materia quæ, ac eius proprietates. Cap. XI.

ALIMENTARIS materia, quam pro nutritione remotiorem & extrinſecam appellamus, nil aliud eſt quam ea omnia quę in cibo, potuque ſumere conſueſcimus, quatenus ad nutriendum aptitudinem aliquam in ſe continent. Valde autem remota dicuntur, quia ſunt extra corpus, & ab ijs quæ propriè alimenta vocantur, admodum diſtant; aptitudo vero ad nutriendum ineſt eis, quia habet

Gal. 3. de facul. ſimpl. aliment. cap. de vino.

habent intra se (sed potentia) quatuor gignendos humores, prout quatuor elementa includunt, quæ humoribus proportionem habent, & perfectè mixta vocantur. Hinc verisimum esse constat Philosophi dictum, ijsdem nutrimur ex quibus constamus: contra illorum sententiam, qui asseuerant ex se vnicum elementum posse animal enutrire; & afferunt exemplum de piscibus in aqua degentibus: sed nesciunt quidem quòd pisces non aqua simplici duntaxat ac pura nutriuntur, immo ellementis omnibus insimul annexis, quatenus excrementis aliquibus, corpusculisque in aqua cõtentis, quibus permixta insunt, elementa vescuntur, vt habemus ex Galeni doctrina tertio de Faculta. Simp. aliment. cap. 25. penes aliuenta pisces meliores peioresue euadunt: Nam quibusdam herbarum ac bonarum radicũ copia suppetit: ijque eã ob causam sunt prestantiores: Alij herbas pascuntur limosas, & radices mali succi, præterea, qui in fluminibus Vrbem magnã preter fluentibus, hominum stercoribus & pra uis id genus escis victitant, omnium vt diximus sunt deterrimi. Amplius, pi-

4. de generat.

scium

ſcium alter alterum inuicem deuorat, eodemq. nutritur, vt ſenſibus omnino probatur, & Galeni locus affirmat in 3. de Facult. ſimp. aliment. cap. 27. Porrò optimi Mulli (dicit ipſe) fiunt vt alij etiam omnes piſces tum penes mare, tum maximè propter alimenta: Nam qui cancellos vorant, & grauiter olent, ac ad concoquendum difficiles & mali ſucci. Cancelli verò parua ſunt animalia flauo colore minimis cancris ſimilia; hæc Galenus cap. 30. Hoc idem confirmatur Hippocratis authoritate, quod aqua nõ nutrit. Addũt hi amplius aliud exemplum de ſalamandra, quæ viuit in igne, & arbitrati ſunt hoc exemplo ignẽ per ſe ſumptum alere poſſe. Iſti enim to to cælo aberrant; quoniam ſalamandra etiam ſi tardius quam cætera animalia ad ignem poſita intereat, non nutritur ab igne: ſed quia huic ineſt humiditas nimia, nimiaq. frigiditas, quibus aduerſatur vi & calori ipſius ignis: at illis tandem actione ignis deuictis, moritur ad modicum temporis animal iſtud. Cæterum, maiorem fidem facere videtur argumentum de Cameleonte (ſed falſiſſimum eſt) quod aere nutriatur. verum *in lib. de alimento, & de nat. humana.*

tamen eſt, quòd ab vnius tantum muſcæ comeſtione, nil aliud pro cibo ſumens, ſeptem dies ſuperuixiſſe comper tum fuit. Nihilominus toto illo tempore interpoſito non fuit aere connutritũ, ſed ſui quadam vnctuoſa prepinguique materia, qua vice alimenti vti ſolet; quemadmodum Glires, & id genus alia animantia in Latibulis degentia. Relinquendo igitur id quod eſt omnibus commune reſponſum, ſcilicet quòd aer ille impurus non ſit; hæc eſt ſententia noſtra, certò ſcimus animalculum iſtud, & muſcas & dactilos, itidemque formicas ac eiuſmodi alia eſitare: Non ergo ab aere alimentumcapeſcit. At ſi quis iterum argueret rationem parem nõ eſſe de animalibus in latibulis degen tibus cũ iis quæ extra latibula degunt. Adducam ego exemplum de ſerpentibus, qui ſi capiantur, viuent adhuc abſque cibo extra latibula plures dies. Quid ergo eſt dicendum de his, niſi q̃ craſſa illa materia nutriantur, & loco ſũ mendorum ciborum hac eadem viuant, & ſuſtententur? Cũ hac additione quod craſsior in illis ſubſtantia maiori negotio reſolubilis, eſt in cauſa quo minus

egeant

egeãt alimẽto. Idẽ aſſeritur ab ipſo Galeno de corporibus humanis, in quibus indigentes partes ex cibariorũ de fectu attrahũt ab alijs partibus alimẽtũ, primo de facultate ſimpl. alimẽt. cap. 1. veluti de iecore affertur exẽplũ: quod qui dẽ ſi nutritione indigeat, ex alimẽti inopia, trahit à cæteris partibus id quod eis ab ipſo antea tributũ fuerat, vt eo alat; reliquũ verò ad cæteras partes enutrien das dimittat. Quãuis aliquot dies ſine cibo permanẽs viuat Humanũ corpus, nõ tñ diu poterit abſq; alimonia ſiſtere, quũ ſit ſpirabile maximè (vt initio ſcripſimus) à quo natiuũ humidũ caloris pabulum, facillimè diſſipatur ac euaneſcit. Sed quandiu viuat ſine cibis humanum corpus, protinus ignoratur; numerus ſiquidẽ horarum ac dierũ in iſtare determinatè ſcribi non poteſt: Nã viuunt diutius corpora nõnulla, nonnulla citius intereũt pro varia diuerſaq; illorũ conſtitutione, necnõ Regionum temperie in quibus degunt: viuunt enim diutius corpora frigida, & humida ſine cibis in regione eiuſdẽ qualitatis, q̃ calida; condenſat ſiquidem atq; conſtipat horũ cutim ambiens ipſe frigidus; tũ etiã quia

craſsis viſcidiſque ſuccis referta, ijſdem pro alimentis vtuntur. Pari modo quæ ſunt (præter frigidam temperiem) ſiccioris naturę corpora, ratione meatuum coarctationis, quę reſolutu difficilia reddit ea. Quocirca melancholici ſicut pituitoſi abſque cibariis diutius quam ſanguinei, & bilioſi perdurant. Quibus dictis falſum eſſe credimus adhuc id quod Simon Portius in quadam Hiſtoria ad Paulum Tertium Pont. Max. de puella Germanica deſcribit. Narrat equidem vir iſte in arte medica inſignis puellam quandam Germanicam ſine cibo potuq; biennium ferè vixiſſe. Eſt hoc à veritate admodum alienum, primo, quia (vt referunt nonnulli) puella hæc affectione melancholica correpta, viſa fuit clàm cibum quandoque ſumpſiſſe, ſicuti melancholici omnes, qui timidi exiſtétes, præ timore latenter functiones ſuas obire ſolent. Præterea implicat Portius in ſuis ſcriptis contradictionem: quoniam titulus hiſtoriæ eſt. De puella Germanica, quæ ferè biennium vixerat ſine cibo; potuq. In proceſſu autem 7. cap. inquit. Puto nihilominus non diu fore ſuperſtitē, ſed citiſsimè è viuis abolendam ſi perpe

tuo inediam ſeruat. Poſtmodum Conciliatorem teſtem adducit, aſſerentem pariter puellam quandam ſpatio decem & octo annorũ nihil cibi deguſtaſſe. Deinde in eodem capitulo circa principium, dum huius cauſam reddere conatur, ita habet. Atque ex hac crudorum humorum copia, frigiditateq. incidiſſe in ſpaſmum vniuerſalem. Quibus ſic ſtantibus, hunc in modum argumentor. Iſta (per te) in ſpaſmum incidit vniuerſalẽ, ergo in tertiam ſpaſmi ſpeciem qui Tetanus appellatur, quum ex verbis tuis nulla ſit facta mentio de in anteriorem poſterioremue corporis declinatione, adeò quod ſuſpicari non poſſumus eam emproſtotono, vel opiſtotono fuiſſe correptam. Sub Tetano autem quamdiu homo viuere poſsit, audiamus Hippocratem. Qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt. Viſum eſt igitur euidentiſsimis rationibus, atque authoritatibus fieri non poſſe, quod eiuſmodi Germanica ferè biennium vixerat. Quamobrem ad Chamaleontem ipſum reuertamur, qui captus, multum aeris attrahere conſpicitur: ex quo indicatur quod ab aere alimentum capiat,

vel ſaltem ipſi Chamaleontis ſpiritus aere nutriantur, ex quibus conſtitutum animal conſeruatur. Probat id quoq; ratio, quam Gal. in medium attulit, in libello quem de vtilitate reſpirationis cõ ſcribit, quæ huiuſmodi eſt. Spiritus, vel ſanguine vaporoſo, vel ab aere per nares inſpirato nutritur; atqui nec euaporationem largam contingere veriſimile eſt ſi arteriæ laqueo ſint conſtrictæ, neceſſarium igitur eſt per nares potiſsimã alimenti partem animali ſpiritui accedere. Cõfirmat idem ibidem Hippocratis authoritate ex libro de Alimẽto excerpta circa medium, vbi dicit Hippoc. Principium alimenti ſpiritus, os, nares, guttur, pulmo, & alia reſpiratio. Ex omnibus enim his nutritur nullatenus impeditus; ſi verò impediatur etiam vnũquodcumque tandem ex ipſis, attamen per reliqua alimentum ei ſuggeritur. Ego enim reſponſum darem, quòd chamaleon ada perto ore trahit ad ſe ſe multam aeris copiam, vt contemperetur ab illo calor ipſius, qui acrior euaſit, tum propter nimium ieiunium, tum etiã ob impeditam vniuerſi corporis tranſpirationem, quæ ex lentis viſcidisque ſuccis

in

in eius corpore contentis proficiſcitur: qui quidem aer (vt Gal. paulo ſuperius fatetur) facit commoderationem ſpirituum caliditati. Vel ſi velimus aſſentire huic opinioni nempe quod ſpiritus aere nutriantur. Dicamus aliud eſſe nutritionem ſpirituum, aliud corporis: licet re uera dicere poſsimus haud eſſe propriam, exactamque ab aere nutritionem, ſed (per illum) potius ſuggeſtionem quandam ad contemperadum calorem, vt aſſertum fuit: quoniam vera perfectaque illorum nutritio pendet ex ſang. vaporoſo, ſicut & eorum generatio tali ordine conſcribendo. E ſanguine ab Hepate ad cor tranſmiſſo vitales ſpiritus gignuntur: ex his (ait Galenus) vt materia, animales ipſi: qui (arterijs laqueo obductis) conſeruantur: quatenus modicus ille ſang. & vaporoſus ad cerebrum delatus, ſpiritibus in eo exiſtentibus commiſcetur, & noua fit ſpirituum generatio, ac per ſuggeſtum eis pabulum è ſanguine vaporoſo eorundem nutritio emanat. Alioquin periret animal, etiam ſi ei prohibita non eſſet aeris inſpiratio. Atqui, ſidiceres (prohibita

aeris attractione) perimit animans, quod ea ratione contingit, quia non fit amplius ab aere caloris contemperatio: & hoc pacto accipienda sunt Hippocratis verba, pariter atque Galeni. verum in his admodum digressi ad cibaria ipsa regrediamur. Gibaria omnia sub tribus differentiis comprehenduntur: Quędam simpliciter, absoluteq. cibi vocantur: Quædam cibaria uiedica mentaq. simul: Quædam verò & cibaria & venena dicuutur. Sumitur huiusmodi diuisio ab actione & passione naturalis caloris, cum actione, passioneq. eorum omnium, quæ corpus nostrum ingeruntur ob mutuam quæ inter istos initur pugnam. Eorum enim quæ ingeruntur: alia primo occursu alterantur & à calore pariter vincuntur, neque patitur calor ab ipsis quicquam nisi per modum reactionis. Gale. in lib. de consuet. cap. 2. ita scribit. Sicuti vnumquodque eorum quæ comeduntur, & bibuntur, secundum aliquam qualitatem alterantur, ita & ipsum quodam modo affiicit, quod alterat. Post hæc copulans alia verba dixit. Quoniam ergo non solum alteratur id quod nutrit ab eo quod nutri-

Auic. 2. primi cap. 15.

tur,

tur, ſed & ipſum aliquo modo exigua quadam alteratione alterat. Hæc abſolutè cibaria dicimus: alia primo congreſſu ne minimum quidem à calore patiuntur; quinimo calor patitur ab iſtis: Hæc ſunt venena, de quibus poſtea dicemus: paſsio autem bifariam contigere ſolet; vno modo corruptiuè, & hoc verificatur de venenis: alio modo non corruptiuè, ſed tantum alteratiuè. A quibus verò patitur calor per modũ non corruptionis ſed duntaxat alterationis, ea ſunt quæ cibaria ſimulque medicamenta dici poſſunt; quoniam priori aggreſſu ſic agunt aduerſus calorem per vires ſuas ab eodem calore in actum deductas, vt alterent ipſum: hanc ob cauſam medicamenta dicuntur: repatiuntur ipſa tamen in hac eadem pugna, atque debilitantur, & imbecilliora reddita poſtmodum ſuperantur, ac vincuntur (ſecundum ſubſtantiam) à calore nimis agente, & ab ipſo denique in ſubſtantiam nutribilis corporis conuerſa, cibaria meritò nuncupantur. Atqui, calor in hoc opere obeundo alterationem aliquam paſſus nequit ita exactè, nec adeò facile eadem in ſubſtantiam nutribilis vt pura cibaria commu-

commutare: Quod apertè demonſtrat Galeni ſcriptum in ſecundo de facult. ſimpl. aliment. cap. de cucumeribus. Ce terum illud perpetuo memoria teneto, quod etiam ſi quis eorum quiduis, quæ alijs coctu ſunt difficilia, coxerit: ſuccus tamen, qui ex eo in corpus diſtribuitur, eandem retinet naturam. Nam fieri non poteſt vt ſuccus qui ex pepone diſtribuitur craſſus ac terreus fiat, etiam ſi is coctus pulcherrimè fuerit, &c. Hoc etenim eſt diſcrimen inter medicinales cibos, & ea, quæ puri cibi ſunt: Non quemadmodum ſentit Montanus, inquiens, Medicinales cibos penes ſubſtãtiam vinci tantum non penes eorum qualitates à calore naturali. Vbi nam permanerent hæ qualitates, ni vincerentur à calore, ſubſtantia maximè illarum victa, & in Aliti naturam commutata? Præterea, ſi hoc eſſet, perpetuò qualitates non corruptæ agerẽt in humanum corpus, ſiue in eius calorẽ. Sed notandũ eſt quod actuatæ vires ſunt actiuæ, calidæ vel frigidæ. Quando igitur actiua calida cibi medicinalis actuatur, fit actuatio per modũ ſimilitudinis, non prorſus tamen: quia calidum actu, actuat calidum quod poteſtate

ſtate eſt:& dicitur modus iſte (vt ita loquar)excitatiuè:ſed actuatum calidum, vt auget calorem actuantem, dicitur in illum agere,&actuans vt auctus ab illo, debilitari dicitur;quatenus amittit tunc ſimetriam naturalis caliditatis. Quando autem calor actuat actiuam vim, eamq. frigidam:per modum contrarij fit,incitatiuèq. dicitur quatenus idem calor in frigidam potentiam agens, eam contra ſeipsũ incitat, atque ſtimulat: & ita redditur ipſe ab eadẽ imbecillior, quamuis à calore demum ſuperata vincatur. Primi itaque enarratorum ordinis eſt animalium caro, vel panis, quatenus abſolutè ſimpliciterque nutriunt. Secundi ordinis naſturcium & lactuca: quę olera,vt alimentum tribuunt,cibi: vt verò eorum qualitate calida vel frigida in primo alterant aggreſſu, medicamente dicuntur. Tertij ordinis cẽſentur ſanguis taurinus,cicuta,&c. Hæc duo ſub nomine ciborum comprehenduntur.ſed quatenus praua qualitate predita ſunt,venena nuncupantur. Ceterum,quę diximus omnia ſub hac diuiſionũ ſpecie continẽtur. Cibariorũ genus duplex eſt. Aliud inanimorum dicitur, cuiuſmodi foſſilia ſunt. *Ariſt. 2. de Anima tex. 3.*

ſunt: Aliud animatorũ eſt: ſubdiuidun-
tur iterũ hæc: quædã enim animata ſunt
anima vegetatiua: quædam verò ſenſiti-
ua: Iſta adhuc in duas ſecantur partes.
Alia terreſtria vocantur, quùm in terra
gignantur & viuant. Alia volatilia, vel
aerea; quæ vt plurimum in aere degunt,
non tamen aere vel terra pro ſui nutri-
tione ſolummodo fruuntur. Alia dicun
tur aquatica & in eadem permorantur
ac viuunt. Primi generis exiſtimantur
quadrupeda omnia, & bipedũ aliqua.
Secundi verò generis Aues ipſæ volati-
les. Poſtremi denique piſces, ſegregan
tur adhuc terreſtria volatiliaque omnia
penes ſingulas eorum partes, & quæ in
partibus continentur vt præcipit Gal. 3.
de facult. ſimpl. aliment. cap. primo: &
meritò fit huiuſmodi ſectio diuiſioque,
quia alimentum quod ab his ſumitur,
non paucas habet facultatum differen-
tias ex Galeno eodem loco citato, &
cap. pariter ſecundo deſcriptum fuit.
Partium ergo; aliæ ſunt de eſſentialibus;
aliæ de integralibus ipſis iudicantur.
Illorum quæ continentur in partibus
exemplum erunt ſang. lac, & etiam
oua ipſa, id aſſeuerante Galeno in ter-

tio

tio de alimen. facult. cap. primo, & 22. Cuncta hæc facile nutriunt; quandoquidem inter ista & humanum corpus, ac eius calorem maxima familiaritas intercedat, & si de sanguine, aliter sentiendum sit, vt videbimus. Lac, visum est nutritioni maximopere conferre: optimi namque succi est, quid optimum eligatur; quod, quale sit eligendum, ex Galeno lucidè dignoscere poterimus in cõmentario de facult. simpl. alimentt. tertio, cap. 15. commendat ibi Galenus lac super omnes cibos præstantissimum: ad verbum: ita scribens. omnium ferè quæ mandimus, lac optimum optimi est succi. Prætera refert Gal. in quinto de sanit. tuenda cap. septimo nouisse senem quendam Agricolam, qui supra centum annos vixerat, cui plurimum nutrimenti caprinum lac erat. Caprarum igitur sed bene habitarum lac cæteris præstat, dũmodo hæ ne nimium differant à partu neque sint ab eodem recentes, sed intermedio tempore ac medio veris, asserit hoc Gal. tertio de facult. simpl. aliment. cap. de lacte, & in libello de bonitate & vitio succorum inscripto, cap. 4. his tamẽ habitis rationibus, & iudicijs,

Gal. 3. de facult. simpl. alim. c. 15. 1. apho. 64.

Gal. 1. aphor. 64. 3. de facult. simpl. aliment. c. 15.

ne

Gal. de bonita te & vitio ſuc. cap. 4.

ne coaguletur in ventriculo adeo vt in caſeum vertatur, neque aceſcat: pro quibus inhibendis præcipimus ijs qui lacte vti voluerint, vt illud ſine coagulo potent & aquoſius etiá ſe ligant, eiq. permiſceant ſaccharum & ſal: quorũ vice antiquiores noſtri mel apponebant. De ſanguine definire deſiſto propter Galenum aſſerentem ſang. eſſe omnem ad coquendum difficilem in 3. de facult. ſimpl. aliment. cap. 18. necnon in libello de attenuãte vict. rat. cap. 8. Iubet is eo loci ſanguinẽ oĩum animaliũ in cibo eſſe vitandũ, & multo adhuc magis in attenuante dieta. Explicãtur eſſentiales animantiũ partes, quũ dicimus illarũ alias eſſe carnoſas, alias excarnes. Partiũ integraliũ: aliæ ſunt extremæ, aliæ verò mediæ, hoc eſt mediũ inter extremas locũ obtinent. Extremas eſſe dicimus caput, pedes, caudam, aures, & huiuſmodi corporis particulas: Iſtæ parũ nutriunt, & cõcoctu difficillimæ ſunt: ideo habenti validũ viriũ robur cũ humorũ copia annexa, has pro cibo offerre licet, virtute illas euincere, & concoquere potente. Partium omniũ ſingulæ, quale nãq. alimentũ nobis præſtent, habetur à Galeno in 3. de facult. ſimpl.

Gal. 5. de ſanit. tuen. ca. 7.

Gal. de bonit. & vitio ſucc. cap. de lacte.

Gal. de bonit. & vitio ſucc. cap. 6.

ſimpl.aliment.per totum ferè volumen exaratũ. Quare ad illud eſt accedẽdum. Verum pro minori legentium negotio inſeruimus hiſce ſcriptis vniuerſum caput, à Galeno deſcriptum in lib. de bonitate & vitio ſuccorum:quo breui perſtrinxit quantum quale uè diſcriminatim nutrimentum ab eiuſmodi particulis in cibo ſumptis corpori noſtro accedat:talia ſunt verba Galeni.Itaque inteſtina, & ventriculus, & vterus duriore ſubſtantia conſtant, quam caro: & quò duriore eo etiam concoctu difficiliore: minus præterea,quam carnes alunt,minuſque ſuci boni ſunt. Caudæ his etiam ipſis duriores habentur: tum reliqua in his pro duritia proportione reſpondent in concoctione & nutritione, niſi quod excrementis vacant ob commotionem. Sunt his non diſsimilia ũolucrium colla.Auium & pedeſtrium animaliũ ventri nihil cõuenit:eſt enim auium venter craſſus, durus,,& qui ob id ægre concoquatur,quiq. cõcoctus multum præſtet alimẽti:optimus habetur gallinarũ atq. anſerum,quũ tamen reliquæ anſeris partes duræ ſint,& còcoctioni aduerſentur, & excrementis redundent præter alas.

In ma-

In magnis verò ſtruthis, quas nunc ſtru thocamelos appellant, ſingulæ ſunt par tes duræ, ægre concoctibiles & excrementitiæ. In auribus cartilago pars eſt quæ neque alat, & ſicca ſit: obducta his cutis tenuis eſt & ſicca, tum quæ haud facile concoquatur, & alimenti parum ſubminiſtret. Oculos pauci: conſtant hi ex ſubſtantijs inæqualibus, ſiquidem alia ſunt natura præditæ tunicæ, alia muſculi, atque alia cryſtallinus humor & vitreus: ex his muſculi ſoli concoctioni ſunt maxime accommodi in animalibus, quibus natura ſit ſucci bonitati idonea. Animantia in aquis degentia ſunt piſces: Horum permulta genera, quorũ omnium differentiæ, vel accidentales dicuntur, vel ſpecificæ ſunt; vtputa Aſelli, Mulli, Mugiles, Turdi, Scarus, & id genus alij. Qui ſi penes hunc modum ſumantur, dicendum eſt alterum alteri bonitate præſtare, & Mullum tũ voluptate tum iocunditate ac cæteris dotibus reliquos ſuperare, vt videre licet apud Galenum in tertio de faculta. ſimpl.aliment.cap.de Mullo. hic voluptate cæteros cibos ſuperat, nutrit certè cum probè confectus fuerit omnibus

alijs

alijs piſcibus copioſius. Ergo mulli caro iucunda quidem eſt, vt quæ alimentum eſt hominum naturæ accommodum. Penes differentias ab accidentibus deſumptas, piſces, vel magnos vel paruos dicere ſolemus &c. Quæ diſcriminis ratio mirum immodum eſt animaduertenda iuxta Galenum tertio de facult. ſimpl. aliment. cap. 27. cuius oratio ita habet. Ceterùm neque id intelligere queo cur permulti grandiſsimos mullos emptitent, quum nec adeo ſuaues ſint carne vt minores, nec ad coquēdum faciles, vt quæ dura admodum ſit. Sed nunc à loco in quo viuunt differentias, quæ etiam accidentium dicuntur, deſumamus. Dicimus.n. ſaxatiles melioris ſucci eſſe quā cæteros piſces, qui in alijs locis commorantur. Et qui ex maritimis in puro mari viuunt, præcipuè quum ventorum procellis agitantur, bonitate cæteros antecellunt; nam eorum qui in quieto, nulliſque agitato fluctibus, tanto piſcium caro fit deterior, quanto minus exercitatur, vt apertè declarat Galenus in tertio de facult. ſimpl. aliment. cap. 25. At certioris doctrinæ gratia annectamus huic, cap. 28.

Gal. de bonit. & vitio ſucc. cap. 9.

quod Gal. ſcriptum reliquit in tertio de facult. ſimpl. aliment. de piſcibus ſaxatilibus appellatum. Scarum, merulam, Turdum, Iuliam, Fucam, Percam à locis in quibus verſari comperiuntur, piſces ſaxatiles appellant. Non. n. in læuibus, aut arenoſis, aut terreis littoribus, ſed in petroſis promontorijs, & vbi ſaxa ſunt deliteſcunt, ac pariunt: inter hos autem ſcarus excellere ſuauitate creditur: ſecundum hunc merulæ ac Turdi: tertio loco, Iuliæ, Fucæ, ac Percæ. Porrò alimentum, quod ex eis ſumitur, non modo ad coquendum eſt facile, ſed hominum etiam corporibus eſt ſalubberrimum, vt quod ſanguinẽ medium conſiſtentia generet. Medium autem voco, qui neque admodum tenuis eſt, neque aquoſus, neque vehementer craſſus. Nemo tamen inficias eat de noſtra (ab initio) cibariorum diſtinctione, ſub qua foſſilia ipſa connumerauimus; quum ſit Galeni ſententia in ſecundo de facult. ſimpl. aliment. q̃ ab Animalibus & Plantis ſumamus alimentum, cuius generis foſſilia nõ ſunt. Ideo reſpondendum eſt verba Galeni non eſſe ſimpliciter nec abſolutè intelligenda,

ligenda, ſed vl plurimum; vnde ſenſus verborum talis ſit. Alimentum ſumimus à plantis & animalibus, ſed non ſolis: quò fit vt cætera non excludantur. Cui rei argumento nobis ſunt eiuſdem verba in tertio de facult.ſimpl.aliment. libro, cap. de melle aereo, quod & ipſum noſtra corpora nutrire faſſus eſt; ait nihilominus idemmet Galenus eiuſmodi mel eſſe quid ſeiunctum ab animalibus, nec eſſe partem, neque ſuccum, neque fructum plantarum. At ſi Rem hanc exactius diſtinctiuſque aſſequi ſtudueris, per lege vniuerſalium Dietarũ volumen illud, quod Yſaac Iſraelita Salomonis Arabiæ Regis filius adoptiuus exarauit; in quo diuiſionem primo, fructuum; ſecundo Herbarum; Poſtremo, Animalium reperies. Diuidit.n.fructus vniuerſaliter hunc in modum: fructuum alij ſunt continui duri, ſicci, diù permanentes poſtquam ſeparati fuerint ab originibus ſuis, ſicut Triticum, Hordeum, & ſimilia quæcunque grana vocantur. Alij molles, & teneri; qui poſtquam ab origine ſua ſegregantur; non durant, ſed putreſcunt; ſicut Melones, Mora, & ſimilia. Herba-

rum diuiſionem hanc poſuit. Aut.n. ſilueſtres in altis locis naſcẽtes & ſiccis. Aut Domeſticæ in hortis orientes, vel locis aquoſis & humidis. Animalia deinceps diuidens in tria ſecauit genera, & ait. Alia terreſtria ſunt. Alia dicuntur Aerea. Nonnulla autem aquatica. Terreſtrium, nutriendi diſcrimina deſumi aſſerit tum ab ipſorum natura, & ex ætate, tum qualitate ciborum & paſcuorum, tum ex eorum gracilitate & obeſitate, tum ex anni tempore, quo ipſorum caro nobis ſumitur in cibo, tum Regione, in qua vitam agunt, tum ex apparandorum artificio. Mox aerea, ſeu volatilia diuidit. Primo, penes eorum temperiem & ætatem. Secundo, ſubtilitatem & craſsitiem. Tertio eraſsitiem & maciem. Quarto penes locorum membrorum poſitionem. Aquaticorum animalium, piſcium videlicet differentias plurimas in medium adducit. Alij namque piſces ex varietate ſuorum generum ſumuntur. Alij ex diuerſis aquarum ſuarum naturis. Alij ex munditia earum. Ex motu & quiete ipſorum Alij. Quinta eorum differentia de exitu piſciũ inſurgit. Sexta, ex

Gal. 3. de fac. ſimpl. alimẽt. cap. 1.

Gal. 3. de fac. ſimpl. alimẽt. cap. 25.

natura

natura ventorum,& eorum quæ ſecum venti ferunt. Septima, ex cibarijs eorum. Octaua, ex eorum ætatibus. Nona, ex anni temporibus. Decima, ex ſuorum membrorum diuerſitatibus. Nouiſsima,ex apparandorum artificijs. Quæ omnia prædicta, quo pacto ſubdiuidantur, quale vè nutrimentum,probum nè ſcilicet, vel improbum præſtet; & quantùm ſit demum in ipſis virium ad humana corpora nutrienda, poteris ibi diſcere facillime; quum nos breuitatis amatores,& ei ſtudentes; illa ſubticere voluerimus. Ceterùm, ad Rem iam deſcendentes decernimus quòd téperatis corporibus offerenda ſunt edulia, quæ illis in ſimili temperie correſpondeant. Animalibus naturalem temperiem inculpatam quidem ſeruantibus ſimilia ſuis naturis cibaria conueniũt, hoc dicit Galenus tertio de ſimpl. aliment. facult. cap. 42. corporis verò conſtitutio inculpata téperatiſsima vocatur ab eodemmet Galeno de bonit.& vitio ſuccorum cap. 29. Diſtemperatis autem,cibi præbeantur illorum intemperantijs conuenientes. Quicunque ſanguinem habent plus iuſto melancholi- *Idem ibidem.* *De bonit. & vitio ſucc. cap.10.*

cum inquit Gal. His, alimentis opus est temperamento calidis & humidis: cuti frigidis & humidis, ijs, qui biliosiore: qui pituitosum, calidis & siccis. Conseruanda siquidem moderata sunt: quæ modum excedunt immutanda. Iam mutatio non nisi ex contrarijs fiat immoderatis; nam, quod vltra modum corpus, aut iam est calefactum, aut calfit, refrigerari quærit: quod verò est refrigeratum, vel refrigeratur, calefieri, simili ratione in immoderata humiditate & siccitate: Hæc habentur à Galeno in lib. de Dieta comm. 2. Moderatior autem (in cibis) temperies quæ habeat Humano corpori proportionem nullibi est quam in carne, præter panem probè paratum, cuius præparationem docet Gal. in primo de facult. simpl. aliment. cap. secundo, necnon de Bonit. & vitio succorum cap. 2. & 3. Corporibus igitur qua mediam temperaturam sunt adepta, ci- baria sunt conducentissima panis rite confectus ideſt modicè fermentatus, cuius coctura sit in textu, seu Clibano, ve paruo furno cum modica salis mixtura, & ante id subactio: gallinarum quæ præterea carnes, gallorumque gallinaceorum

Gal. 1. de fac. simpl. alimēt. 3. cap. 26.
2 de fac simp. aliment. c. 6.
Gal. de bonit. & succ. c. 2. 3.

ceorum, tum faſcianarum auium &c. Carnes quidem cum probè concoctæ fuerint optimum gignunt ſanguinem, & potiſsimum ſi eæ fuerint animalium boni ſucci, cuiuſmodi eſt ſuum genus ex Galeni ſententia tertio de facult. ſimpl. aliment. cap. 2. quum ſit caro de illis quæ corpori noſtro in proſpicuis qualitatibus & ſubſtantia ſunt conſimilia. Manifeſtantur autem iſtæ dotes in carne ſuilla magis quam in cæteris carnibus. ſuillæ autem carnis ſimilitudine cum humana dicit Galenus, ex eo poteris intelligere, quòd quidam carnes humanas pro ſuillis ſine vlla in guſtu, vel olfactu ſuſpicione comederunt: id. n. ab improbis hoſpitibus, & alijs quibuſdam factum fuiſſe compertum eſt. Patet vtique ſuillæ carni ſecundum colorem, & etiamnum ſecundum eius temperaturam, quæ ab efflorescentia cutis (aut hore Gal.) deſumitur, ſecundum pariter ſui corpoream ſubſtantiam cum humano corpore maximam familiaritatē ineſſe. Vnde Hipp. auſus eſt dicere carnem ſuillam eſſe omnium optimam, quem imitatus Gal. in eo libello, qui de bono maloque ſucco inſcribitur, dixit.

3. *de fac. ſimp. aliment. c. 2.*

1. *aph. 2.*

Quum autem inter animalia pedestria optimi sint succi sues &c. Illud porrò nequaquam hoc in loco prætermittendum duximus, non de quacunque suis, neque hominum ætate, quibus eiusmodi carnem offerendam curamus, intelligendum fore. Distinctio enim hac in re semper est adhibenda, quæ docetur ab eodẽmet Galeno in tertio de facult. simpl. aliment. cap. 2. cuius sententia, huiusmodi est. Cetèrùm, ex suum carnibus hominibus quidem ætate florentibus, fortibus, & qui se se multùm exercent, suum ætate florentium carnes ad concoquendum sunt prestantiores; alijs verò suum adhuc increscentium. sed id apertius legere poterimus apud eũdem Galenum in tertio de facult. simpl. aliment. cap. 17. Praua autem admodum est caro nouellorum animalium, sed diuersa ratione ac senum: siquidem horũ caro dura est, & sicca, ac neruosa, ideoq; praua ad coquendum, & exigui nutrimenti. Contra animalium nuperrime editorum corpora mucosa sunt, ac humida, eoque excrementis plena. Hæc in cunctis animalibus memoria teneto; & 3. de facult. simpl. aliment. cap. 41.

suum

ſuum verò ætate florentium Carnes vtriuſque exceſſus ſunt expertes, annoſorum videlicet ſiccitatis, & nouellorũ procellorum immodice humiditatis. Plantæ omnes diſtinguuntur penes earum radices, caules, flores, fructus, ac ſemina tandem; quia facultatem aliam ineſſe radicibus docuit Gal. aliam caulibus, quemadmodum certè & folijs, & fructibus & ſeminibus aliam. Hæc omnia vel prauè nutriunt, vel parum, & medicam vim habent. Idcirco his admodum vtendum non erit, niſi id pro alterãdis corporibus moliri velimus, idem ſenſit Gal. in 2. de facult. ſimpl. aliment. cap. 4. in tertio quoque de loc. affectis cap. 7. necnon in lib. de cibis boni malique ſucci cap. 1. Habet etiam in 2. de facult. ſimpl. aliment. cap. 40. 50. ſcire autem conuenit quod olera omnia ſanguinem gignunt pauciſsimum ac praui ſucci. Verùm ſatius eumdem audiamus in lib. ſecundo de facult. ſimpl. aliment. inſcripto cap. 39. Non modo Plantarum ſemina ac fructus, ſed etiam integras ipſas ſæpenumero mandimus: ſæpe autem eum interdum vrget neceſſitas, radices tantum aut ſurculos, aut

Gal. 1. de aliment. fac. c. 1.

Gal. 2. de fac. ſimp. aliment. 58.

nouella

nouella germina. Manifestum autem est, quòd omnia hæc præterquam, ꝙ exiguum cor pori dant alimentum, suc cum etiam prauum generant. Quaprop ter nos Galenum insequentes, perpetuo memoria teneamus quod ab eo scri ptum est in secundo de facult. simpl. ali ment. cap. 6. in calce, ob eam igitur causam omnibus praui succi eduliis censeo abstinendum, etiam si ea quibusdam cõ coctu sint facilia: vnde propertius, victũ infęlicem dant rami & tristia corna. sed hic neque prætermittendus est locus eiusdem Galeni in libello de succorum bonitate & vitio cap. 1. qui talis est. Quantum sit in mali succi cibis uirium ad procreandos morbos, facile non om nimo mente captis declarauit fames, quæ per plurimas Romano imperio subditas gentes sæuiit multis deinceps annis continuè: Quum enim Ciues pro more suo (quo æstate quamprimum so lent frumenti, quod satis sit in reliquum anni tempus, parare) quicquid in agris tritici fuerat, abstulissent vnà cum hordeis, fabisque ac lentibus, reliquos agrestibus fecere Cereales fructus, ἔσπρια & χέδρωπα græci vocant. i. legumina,

Gal. de attenuante vict. rat. cap. 9.

mina, simul etiam non sanè paucis ex his in Vrbem asportatis. Consumptis itaque hieme ijs, quæ facta reliqua fuerant, agrestes necessario vere toto succi prauí alimentis vescebantur, adhibitis ad cibi vsum, arborum fructicumq; germinibus ac turionibus, biul isq;, & stirpium succo malo præditarum radicibus: pleraque præterea quæ agrestia quæ vocant olera, prout cuique horum se copia suggerebat, abunde ad saturitatem vsque ingurgitantes, simul herbas virentes totas edebant elixas, quas antea numquam, ne periculi quidem faciundi gratia, degustauerant. Itaque videre erat ex his quosdam desinente vere, plerosque certè omnes ineunte æstate, vlceribus in cute quamplurimis correptos &c. Veniamus nunc ad Tractatum de venenis.

VENENA

DE NVTRITIONE

Venena Quomodo Dicantur Cibaria, & quot quibusuè modis interficiant.

Cap. XII.

DE cibarijs venenosis, quæ vt aliquam animantium speciem vel eorum indiuiduũ aliquod enutriunt, idcirco ciborũ nomen sortita sunt; nihilominus quum ea non omnibus æquè sint alimenta, hoc vnum præcipimus, vt fugiantur omnino. Quòd fugienda sint, indicat subsequens mors ipsa omnium terribilium postrema. Namque venenum licet (mea quidem sententia) non absolutè dicatur, sed ad aliud, & cuiusdam animantis respectu, contra Montanum asseuerantem dari venenum, quod omnibus sit indiscriminatim absoluteque virus. Generi tamen humano alioqui omniũ temperatissimo magis quã cæteris animantibus infensum esse potest, ac homines interimere. ob hanc igitur occasionem

nem diſtinguendi ſunt modi quibus venena ipſa interficiant. Alia enim ſtrangulando enecant, quales ſunt fungi omnes, quatenus ſui craſsitie meatus occludunt, auferuntque reſpirationem ſpiritibus, & ſuffocatione quadam natiuum calorem extinguunt. Alia erodendo vlcus efficientia occidũt, vt Cantharides Auripigmentum, & id genus ſimilia. Alia, præ nimia ſui grauedine frangendo animantis partes, ſicuti eſt id, quod Argentum viuum appellant. Alia denique, ſui qualitate interimunt. At venenorum qualitas bifariam conſideratur: vnomodo vt manifeſta eſt; altero modo vt occulta dici ſolet. Priori modo dicitur qualitas elementi quod in eis prædominatur; vtputa calida vel frigida: & iſtarum vnaquæque dicitur adhuc dupliciter; vel prout calida, frigida uè ſub modica ſubiecti quantitate percipitur, vel quatenus ſub maxima quantitate eiuſdem exiſtit. Exemplum veneni, quod ſub modia portione ſubiecti penes excedentem qualitatem à prædominio elementi calidi operatur, eſt, vt ita dicam, Napellus: veneni verò frigidi ſub modica quantitate exiſtentis,

Maniacum

Maniacum ſolanum eſt. Illud autem quod à qualitate manifeſta, calidaq; ſub maxima quantitate officit (ſed ſub modica minime) eſt vinum. Papauer, & Mandragora, à frigida qualitate, in maxima copia ſi ſumantur, corpus noſtrum corrumpunt, quemadmodum ex Galeno in ſecundo ſuper Aphoriſmos commentario colligitur. Sed notandum eſt, quòd à qualitate calida, venena dupliciter enecant, prout duo reſpiciunt qualitatem nimirum calidam ſpirituum, ac eorumdem ſubſtantiam, quã adeò attenuant, vt illam attenuando quandoque diſsipent. Interdum verò ſpirituum caliditatem ad tot gradus augent, vt ſub ipſis animantis vita conſiſtere nequeat: Habet quippe ſpirituũ caliditas limites ſuos, extra quos nonaturalis vel præternaturam quandoque dici poteſt, ſeruat nihilominus animal ipſum: veràm ad tot gradus interdum alterata & aucta, finit illud corrumpi, atque diſſolui. Hinc eſt quòd licèt in febribus cunctis ſit qualitas hæc extra naturæ terminos egreſſa, non omnes tamen febres enecant, ni prius attigerint gradus illos, ſub quibus tandem vita perſiſtere

ſtere nequit. Hac ratione, Piper in cō-minutum puluerem redactum, ac ſuper vermes aſperſum occidit illos; nam què piperis caliditas è vermium calore ad actum redacta, auget eorūdem met vermium caliditatem, ſub qua ijdem amplius viuere non valent: quoniam requiritur calor mediocris pro vita eorū conſeruanda: Quamuis fateatur Montanus ſe rationem hanc ignoraſſe, & id in Libello quem de fœcibus appellat. Venena autem à frigida qualitate animanti mortem inferunt, quatenus torpidos reddunt illorum ſpiritus, eoſque per modum contrarium corrumpunt. His habitis, loquamur de venenis; quæ occulta quadam qualitate nos ipſos infeſtant, & occidunt: Hæc igitur ſunt, vt Arſenicum, & huiuſmodi alia; quam operationem in his à tota ſubſtantia fieri quamplurimi dicunt. Quid autem à tota ſubſtantia, quidque ab occulta qualitate dictum referat: Ego hunc in modum intelligendum eſſe cenſeo; ſi in memoriam reuocentur quæ initio conſcripſimus, quum de temperatura ſermonem habuimus. Diximus inquam elementa omnia tum ſecundum mate-

Gal. 3. de loc. affect. cap. 5.

riam

riam, cum ſecundum eorum formam eſſe mixtum gignendum neceſſario cõcurrenda : & à formis ſubſtantialibus ipſorum vnicam formam, eamque mediam conſurgere, quæ concreti forma ſubſtantialis vocatur, ex qua quidem mixtione oriri poſtea primarum elemẽtorum qualitatum confuſionem, quam & aceidentalem mixti formam appellari : & hoc dicitur temperamentum. Iſtud etenim in aliquo ſubiecto exiſtẽs, ſi alteri corpori comparetur, quo cum ſimetriam & proportionem habeat, dicitur ei tunc ſecundum naturam & familiaris : & hoc pacto alimentum eſt eique conueniens, ac nutrit : ſin inter illa corpora, diſcraſia maxima intercedat, diſsimilis eſt & infenſa ; ideo non amplius alimentum, ſed potius nocuũ eſt, ac interficit aliquando. Deducuntur hæc ex Galeni doctrina in ſecundo de facult. ſimpl. aliment. cap. de Cucumeribus, per hanc verborum formam. Inuenias autem, qui ipſos (ceù alia multa, quæ homines plerique coquere nequeunt) concoquant ob naturæ. ſ. cum eis familiaritatem, quam nos tum in cõmentarijs de temperamentis, tum autẽ

Gal. in lib de cibis boni & mali ſucci cap. 1.

in

in libris de medicament. facult. copiosissime exposuimus demonstrantes à totius substantiæ proprietate suum cuique animantium generi cibum esse familiarem. His itaque modis dicimus aliquid ab occulta qualitate, necnon à tota sui substantia operari; quatenus scilicet substantialis forma concreti corporis operatur, consurgens ex elementorum formis inuicem coeuntibus; vnde confusis eorumdemmet elementorum qualitatibus, temperies emanat, quæ per modum similitudinis benigna est, dissimilitudinis verò contrà adeo quòd maligna qualitas seù qualitas improba & occulta, nil aliud erit quàm aspectus malignus proficiscens à discrasia complexionis; quoquidem aspectu res vna respicit aliam, per antipatiam infestãs ac interficiens eam, & venenum appellant omnes. Non est igitur mala qualitas occulta (sicuti plerique existimarunt) temperies ipsa, quam complexionem dicunt; sed effectus quidam profluens à complexione per modum dissimilitudinis vnius ad aliud, quo pacto oritur inimicitia. Ex quibus iam positis patet hoc esse discrimen inter com-

plexionem & occultam qualitatem, ꝙ cõplexio eſt prout in ſuo ſubiecto conſiſtit, ac diudicatur: occulta verò qualitas eſt operatio complexionis per comparationem ad vnum vel plura; quemadmodum de vipera exemplum afferẽtes dicere poſſumus, ꝙ eius temperies venenum eſt & lethale pluribus animalibus; ipſi verò eſt complexio ſecundũ naturam, & ceteris eiuſdem ſpeciei conueniens & amica, minimè autem virus: immò ſi aliter eſſet, fortè non ſeruatur idea ſpecieſque viperarum. Concludendum eſt itaque ꝙ opus veneni immediatè à qualitate occulta iam declarata profluat, à tota verò ſubſtantia mediatè, quatenus hæc medio temperamento opus efficit: & hoc in ſenſu viſus tãtum quãdoque manifeſtatur, vt quum quis aliquam rem inſpiciendo inficit eam propter malignos ſpiritus ex eius oculis exeuntes, vti patet de mulieribus menſtruum habentibus, quæ in ſpeculum inſpexerint, illud inficiunt &c. Vel in ſenſu tactus, vel odoratus, vel guſtus, quamuis etiam iſte ſit quidam tactus ex Ariſt. ſententia. Contrario ſe habet occulta qualitas benigna, quæ dicitur

2. de Anima.

aſpectus

aſpectus benignus profluens à complexione alicuius rei ſimetriam ad alterũ habentis & cum eo familiaritatem; in quod operando (per ſimpathiam) ipsũ conſeruat; veluti de Ligno Guaiaco fertur à toto Medicorum cœtu, quod Humanum corpus conſeruet; & ab eo gallicam luem expellit, quatenus id ſui benigna qualitate familiare eſt hominibus, amicumque, illos tuetur & cuſtodit. Hæc omnia vera eſſe facillimum eſt oſtendere; quoniam, id quod eſt alicui cibus, alteri virus exiſtit non modo habita vnius ſpeciei ad alteram comparatione, quemadmodum aiunt de ſturno & Coturnice, quę quidem aues elleboro cicutaq; veſcuntur, oleribus alioqui corpori Humano perniciosis: verumetiam facta comparatione vnius indiuidui ad alterum; namque compertum eſt experimento, quod ſingularis homo eſitat Arſenicum eoque nutritur, quod eſt cæteris hominibus infenſum; Proinde rectè dictũ fuit à nobis, venenum dici ſolum in reſpectu alicuius; quippe cum nullum venenum æque cuncta animantia interimat, quia non omnibus eundem aſpectum habeat,

immo eſt alicui (vt comprobauimus) alimentum. Conſonum eſt huic noſtræ opinioni quod Galenus protulit in tertio de facult. ſimpl, aliment. cap. de Lacte ſub hiſce verbis. Atque etiam ſi Capræ aut alterius animalis ſcamoniam, aut Titimallum depaſti lac, cibi loco quis ſumpſerit, omnino illi aluus fluet: Ecce, q̃ Titimallus qui eſt hominibus nocuus, pecudibus quidem eſt in alimẽtorum vſu. Præterea, manifeſtum eſt qui ſi aliquod venenum per ſimilem elementorum qualitatem alteretur, magis citiuſque operatur; vtputa ſi calido veneno calida qualitas addatur, promptius reddetur ad opus ſuum agẽdum. Contra verò ſi ab oppoſita qualitate refractum ſit, tardius, operatur, & minorẽ edit actionem. Id eſt quod iſti dicunt de veneno ad tempus determinatum exhibito. Eſt à vero tamen alienũ quod ad vnguem ſciatur, quouſque incipiat operari; Sed pro maiori minori uè ſuæ qualitatis remiſsione ab oppoſita qualite cauſata, ocius tardiusue gignit operationem. In Quorum teſtimonium habentur, ea quæ dixit Petrus Andreas Matthiolus, quũ loqueretur de Napello,

herba

herba admodum calida & virulenta; de qua quum periculi faciundi gratia, Romæ, Cuidam in Carceribus Capitolij detento, pœnæque capitis damnato, illã exhibere tentasset; is citius obijt, quam ille qui Pragæ eãdem herbam degustauerat; Nec alia ratione id accidisse fatetur quam Regionum discrimine; calidior siquidem Romana Regio augẽdo qualitatem in Napello, promptiorẽ illũ ad operationẽ effecit; quod non ita euenit in Germanica supra modũ frigida; immo ex ea remissio adeò magna subsequuta fuit, ꝙ is anceps erat de eius actione venenosa. Hæc de cibarijs venenosis sumatim dicta sint.

De potu veluti matria nutriente.

Cap. XIII.

IAM tempus adest, quo nos ad paucula quædam de Potu dicenda descẽdamus, si prius memoria tenuerimus, quòd eorum quamplurima quæ de cibis antea dicta sunt, de Potu quoq; intelligantur, de quantitate nimirum ipsius p&

alijs nonnullis, quæ breuitatis causa prætermitto. Dicamus modo, quòd potus oportunus est vinum. Nec ab re dictum est; quoniam reperio Galenum in tertio de facult. simpl. aliment. cap. de vino hunc in modum scripsisse; vinũ quidem ex eorum esse uumero, quæ nostrum corpus alunt, omnes fatentur: modo si quicquid alit, cibus est, vinum etiam in genere ciborum est ponendũ. Sed potus alius est puri simpliciſque vini: alius est aromatici medicatique, cui herba, vel quid aliud medicam vim habens sit admixtum: alius est ceruisiæ, & similium. De puro simplicique vino mediocrem quidem ætatem habenti sit sermo noster, quum sit prima hæc vini conditio secundum Galenum in tertio libro art. medic. Vinum quadrupliciter cognoscitur: ab eius nempè substantia: à colore pariter: à sapore: ab odore denique. Hanc eamdem sententiam videtur pronunciasse Gal. per illa verba. Nec verò satis fuerit principalissimam ac primam cuiscunque cibi temperiem nouisse, sed vt in libris de medicament. monstratum est, eas quoque quæ hanc sequuntur qualitates callere oportet,

Gal. 3. art. med. circa finem.

1. de fac. simp. alim. cap. 1.

vt quæ & ipſe ſunt vtiliſimæ, multæ quidē, ſi non omnes in ſaporibus, quædam autem etiam in odoribus. Ergo ciborum nonnulli quidem (quemadmodum haud ita pridem commemorauimus) ſi quis eos guſtauerit, aut olfecerit nullam inſignem ac manifeſtam qualitatem præſeferunt, quos ſanè ἀποίους & ὑλατώδεις ideſt qualitatis expertes, & aquoſos nominant; alij autem manifeſtiſimam habent adſtrictionem, aut congenitam dulcedinem, aut acrimoniam: ſicut nonnulli quoque ſaliores, aut amaritudinis quippiam habere perſpicuè cernuntur: A ſubſtantia; aliud craſſum dicitur vinum; aliud verō tenue; aliud mediocre. Vbi etenim celeri modicaque nutritione egemus, tunc vino vtamur tenui: ſi multa tardaque nutritiono opus eſt, craſſo vino: eſt vtendum: ſi nutritionem requirimus, quæ medium locum obtineat, mediocri vino vti debemus. Quantum ad colorem ſpectat, vinum quatuor habet differentias, Fuluum, Album, Rubrum, & Nigrum. Fuluus color in vino cæteris coloribus præſtat. Huiuſmodi vinum eligatur quod ſit media *Gal. 3. de fac. ſimp. alimento. cap. 30.*

consistentia quando videlicet moderata perfectaque nutritione indigemus, vt sentit Gal. tertio art. medicinalis. Ad modicam nutritionem facit vinum albi coloris, substantiæque tenuis, quod pauciferum appellatur, & nutriendi facultate parum differt ab aqua. Vinum verò nigrum & rubrum sumitur ad maiorem nutritionem parandam; tum quia indicat huiusmodi vinum, sui substantiam crassiorem esse; tum quia est sanguini adsimile. Pro quarum rerum conclusione in medium adduco Galenum, qui tertio de facult. simpl. alim. cap. de vino ita scribit. vinorum omnium rubra simul & crassa sanguini generando sunt accommodatissima, vt quæ minima egeant mutatione vt sanguis fiat: Post ipsa sunt nigra crassaque & dulcia, omnium autem minimum nutriunt, quæ colore quidem sunt alba, consistentia autem tenuia, & aquis hidromeliti faciendo appositis quodam modo sunt similia. Quæ autem admodum sunt crassa, tardius quidem perficiuntur, ac distribuuntur: si tamen in ventriculum adeo robustum incidant, vt confici rectè ab eo possint, alimentum

Gal. 3. art. med. de succ. bonit. & vitio cap. 12.

Gal. 1. aph. xi. 3. de alimen. facul. cap. 40. De bonit. & vitio succ. xii. Gal. 2. aph. xi. xviij.

tum copiosius corpori exhibebunt. Vinum tamen omne celerrime peruadit, & alendi corporis partes permeat, omniumque citissimè nutrit, sed minus quam bona veraque cibaria. Propter ea, vino vtendum esse consulo ijs qui celeri egent alimentorũ appositione: quod quidem vinum gustui neque aqueum omnino, neque cum aliqua insigni qualitate, aut dulcedine, aut amaritudine, aut acritudine sentiatur. Dulcia vina conficiuntur in ventriculo, ac distribuũtur facilius, quam austera vt quæ facultate sunt calidiora: His minus acerba, Gal. tertio de facult. simpl. aliment. cap. 40. Vinum eligere oportet, quod optimi sit odoris; nam odor multum confert ad vires restaurandas, & ad succi bonitatem præstat; etsi credam odores nullo pacto corpus alere posse: cuius oppositum plerique senserunt authoritatibus tum Galeni tum Hippocratis adacti; Hippocratis inquam in libro cui est inscriptio de Alimento, quam eamdem sententiam videtur affirmasse Gal. in secundo aphorismorũ commentario super 11. aphorismum hisce verbis. ijs qui indigent celeri appo-

Hipp. & Gal. 2. aph. xviij.

Gal. 3. art. med.

Gal. de bonit. & visio succ. cap. xij.

posi-

positione, optimum remedium pro colligẽdis viribus humidum esse; quòd si adhuc multo celeriori egent, odoribus sunt recreandi. Vnde palam videtur quantum hallucinentur hi qui censent odores ipsos esse nutriendi facultate præditos, ex verbis Hippoc. atque Galeni, dicentium recreandos esse odoribus qui celeri egent nutritioue, non animaduertẽtes quòd authores illi grauissimi primo vsi fuerunt hac loquendi formula. Optimum remedium pro colligendis viribus &. Hinc perspicuũ est non dixisse Galenum pro viribus acquirendis. Præterea pronunciarunt verbum illud, recreandi, non autem alendi. Ratio autem eiusmodi sententiæ scilicet quòd recreandi sunt odoribus ij qui celeriori egent appositione, est; quoniam odoribus recreati, tantũ ocij nanciscuntur, vt alimentorum appositionẽ expectare commode queunt; quum recreatio sit virium roboratio, seu virtutis collectio non per subactionem alicuius alimenti, sed ob quamdam refocillationem hunc in modum adeptam: Spiritibus iam per vniuersum corpus diffusis, imbecillitas aliqua in

corpore

corpore percipitur; qui quidem ſpiritus ſi poſtea colligantur, ad vnũ (eumque communem) terminum inuicem concurrentes, ad odorem videlicet, validiores fiunt, quia virtus aggregata fortior eſt proculdubio ipſa diſperſa. Hanc ob cauſam noſtrum corpus facilius regunt; & induciæ dantur, quibus ipſum aptè alatur, ac reſtauretur: Propterea mos vſitatus eſt apud omnes gentes ad cellerimam ipſius reſtaurationẽ odores offerre. Eadem eſt ratio de hominibus prænimio labore defatigatis, quibus ineſt laſſitudo propter ſpirituũ diſperſionem à motu productam; his poſtea quieſcentibus, ſpiritus qui in eodem corpore conſiſtunt, iterum aggregati corpus ipſum reſtaurant, atque validius reddunt: non ob id tamen alimentum capeſcit animans ipſum. Contra verò ſi graues fuerit odores, vel ſuapte natura ſuaues, ſed alicui propter ſimpathiam aliquam non conferentes, diſpergunt illico diffunduntque ſpiritus ipſos; & virium imbecillitas conſequitur; vnde corpus ſubſtineri nequit, & in terram quandoque labitur; cui quidem rationi fauet Ariſtoteles in ſecun-

do

do de Anima libro, vbi loquens de potentia sensitiua, dixit. Hæc, dum obiectum aliquod percipit delectabile, prosequitur & amat: dum verò terribile, timet & aufugit; spiritus itaque amantes odorem qui delectabilis est, illum prosequuntur, & ad eum concurrunt: Odores autem prauos aufugiunt; & interdum illos, qui per se optimi sunt, sed simpathiam cum spiritibus non habẽt. Veluti de Rosis fama est; quæ ex sui natura suauissime olentes, inducunt nihilominus fœtorem adeò molestum singulari homini, quòd ob spirituum ipsius fugam & illorum dispersionem, debilitatis corporis viribus, ipsum in terram decidit. Examinata est iam Quæstio hæc: Num scilicet odores nutriant. ex qua nunc oritur occasio querendi. An ex Clysteri nutritionem aliquam suscipiat animantis corpus. Plurimi sunt, qui euidenti ratione muniti senserunt clysteres nequaquam alere posse, quoniam omne quod nutrit, prima concoctione coctum esse oportet, quæ prima concoctio celebratur in ventriculo, vt manifestissimè assertum fuit ab ipso Galeno in libro de bono malo q;

succo

ſucco cap. 12. Atque ita corporis quidem partibus omnibus alimentum præparat Iecur. Huic ventriculus: ventriculo os: ori quædam aſſatio, quædam elixatio, quædam frictio in ſartagine, aut ſimplex aliqua maceratio: omnibus autemiſſis natura Gubernatrix plantas fructus ferentes præparat: ſuntque eorum aliqu., quæ ipſa profert, quibus nec elixatione, nec aſſatione, nec maceratione, neque verò præparatione alia opus ſit. At (ipſorum pace) oſtendunt hi ſuo ſermone prorſus ignorare quod prima cōcoctio non in ventriculo modo, verumetiam in inteſtinis conficitur, quemadmodum & ſecunda concoctio fit in Iecore & venis; hac tamen poſita conditione quòd alimentum in inteſtinis conficiendum ſit in chylum verſum, vel ad chyli naturam accedat, cuiuſmodi eſſe clyſter intelligitur, ideſt materia quæ clyſteris conſtitutionem ingreditur, præſertim eius, qui ouum & ius excipit: Hæc etenim modica admodum indigent concoctione; Ideo ſatis eſt his inteſtinorum coctio; ex quibus deinde per exiles venas meſaraicas vocatas trahuntur ad Hepar; hinc ad cæteras partes

Gal. de bono & malo ſucco cap. xij.

tes alendas transmissa. Cui rei argumento est Auenzoar Arabs ille Medicus, qui filium suum octo ordine dies clysteribus enutriuit. Reliquum modo est, vt pro exacta rei descriptione agamus de altera nutritione, quæ ab enarrata iam quopacto discrepare videtur. Ad hanc ergo nostra vertatur oratio,

De nutritione fœtus in vtero,

Cap. XIIII.

SERMONEM hactenus habuimus (vt omnibus patet) de Nutritione corporis humani extra vterum degentis; Modo de altera nutritione, fœtus inquam in vtero latentis habendus est sermo sed priusquam de illius nutritione pertractemus, rei affinitas postulare videtur vt de efformatione eiusdem diceremus. Nihilominus, ne videar quid extra rem proponere, desistam: esset siquidem

siquidem extra rem, de fœtus efformatione alrero nempe naturæ opere pertractare; quum sit scopus noster de nutritione tantum alloqui. De huiusmodi Nutritione igitur nobis est agẽdum; ne crederet aliquis hanc eamdem esse cum nutritione animantis in lucem ẽditi. Conueniunt porrò ambæ in aliquibus, in quamplurimis verò discrepant. In his consentiunt, quod idem est corpus alendum, eademque membra enutrienda, & ijsdem conditionibus pro exacta eorum perfectaque corporis habitudine donanda; extrinseca denique materia eadem pro nutriendis ambobus, nempè cibaria ipsa; quæ licet ad vterogerentem referantur, ad ipsum quoque fœtum referri debent, prout cibaria gignunt alimentum ei. Dissidẽt autem iuxta numerum concoctionum, & materiam alimentarem eamque proximam; necnõ penes membrum è quo trahitur alimentum, itemque penes vias per quas ista nutritio comparatur. Duæ dumtaxat sunt cõcoctiones in fœtu vtero inexistenti: Secunda, quæ fit in Hepate: Tertia pariter, quæ in singulis membris illius conficitur. Namque *Gal. 1. aph. 14*

que prima concoctio in ipsis non daturi & hanc ob causam nulla fit in eis chylificatio, quam necessariam esse in lucem editis nemo est qui neget. Circa materiam alimentarem huiusce Nutritionis Galenus varius & sibi inconstans esse videtur: modo enim ait esse alimentum Fœtus, sanguinem menstruum: modo id quod dulcissimum est in sanguine, & quod à toto corpore ad vterum descendit: Interdum lactis partem aliquam: Postremo sanguinem spirituosum. Deducta est exmet Galeno vltima hæc sententia in comentarijs de vsu partium; ibi enim asserit quòd fœtus in vtero per vasa spiritualia nutritur. Quibus verbis Nonnulli respondent, & aiunt Galenum non intelligere de vera propriaque nutritione, sed potius de Animantis viuificatione: hoc est fœtus in vtero per arterias sanguinẽ spirituosum accipiens (vel per vasa spiritualia) nutritur. i. viuificatur. Nos credentes quòd fœtus in vtero nutriatur & sanguine spirituoso, pro absurdo minimè habemus quod aliqua portio spirituosi sanguinis in fœtu possit aliquam eiusdem fœtus particulam enutrire: verum

2. de causis simpt. cap. 7. 5. aph. 60. 5. aph. 37. Ibidem.

rum quas partes alat, & quomodo, declarabitur inferius: Sed nunc dicamus pro Galeni conciliatione, distinguendo tum de tempore fœtus in vtero, tum de partibus eiusdem, veram vbique esse Galeni sententiam. Fœtus igitur, vel in prioribus mensibus consideratur; & hoc pacto, dulciori puriorique sanguinis parte alitur, qui ab vniuerso corpore ad vterum deriuatur, quum id temporis modica alimenti copia indigeat; eo quòd parum adhuc auctus est, adeo vt ne fœtus quidem nominari debeat, sed Cyema potius. i. conceptus ex Galeno quarto de sympt. causis cap. 7. reliqua menstruorum pars, in duo diuiditur; in excrementum videlicet, quod ad tempus parturiendi permanet, & tunc extra vterum exit; diuiditur pariter in portionem quandam pro lacte gignendo in mãmis per vasa ad vtero ad mammas deductam. Roboratur hæc opinio; quoniam cernimus eo tempore menstrua supprimi: at si alicui mulieri adhuc vtero gerenti, aliqua menstrua appareant; erit id speciali potius fauore ipsius naturæ dicendum, quæ tribuit illi maximam sanguinis co-

piam. Vel consideratur Fœtus in posterioribus suæ efformationis mensibus, quibus, præsenti non contentus alimento trahit ad sui nutritionem lactis partem aliquam; quo fit vt prægnantes mulieres videamus tunc emaciari, & ferè colliquari quandoque. Vel sumitur fœtus intermedio illo tempore, quo grandior factus, quam prioribus mensibus; non sat existente puriori parte sanguinis ad ipsum alendum, toto fruitur menstruo. Ne credas tamen lactis nomine Galenum intelligere lac purum, sed materiam aptam & ad lac gignendum proximam adhuc existentem in venis quæ vterum & mammas intermediant. Videamus iam quopacto distinguendo de partibus ipsius fœtus possint verba Galeni inter se sc conciliari de sanguine spirituoso. Diximus antea (Galeni authoritate) conseruari natiui caloris simetriam recenti alimonia ex arterijs subactam, quæ quidem nutritio quum per modum attributionis referatur ad fœtum, ideo ipsius nutritio dicitur. Possumus & aliter responsum afferre. Omnes vtique sciunt Pulmones esse de numero

Gal. 5. aph. 60.

mero partium ſpiritualium, illaſque à ſibi familiari ſanguine conutriri, qui ab Hepate ad ipſos Pulmones per venam arterialem à corde originem ducentem, ſed prius per venam cauam deductus, motuque Pulmonum ad ſe ipſos enutriendos paratur. Atqui Pulmonibus ipſius fœtus in vtero pœnitus ocioſis, eiuſmodi præparatio fieri minimè poteſt: neceſſe eſt igitur vt aliunde paratus ad eum affluat, iſq; nil aliud eſt quam ſanguis ille ſpirituoſus per arterias fœtus ab arterijs in vtero exiſtentibus attractus, atque ipſis adiunctas, & ad magnam arteriam fœtus (quam aortam dicunt) pertinentes: ſicuti & vena eiuſdem à venis vteri trahit, ipſiſque ad caput venæ portæ ſub iecore cõiuncta, quæ ad iecur ipſum nihilominus non deſinit. Huiuſmodi vena, arteriæque tales in vmbilico ſunt fœtus, & hæc cotyledones appellantur. Vnde patet modus, ac viæ quibus fit nutritio fœtus in vtero, qui eſt per vmbilicum medijs tum vena tum arterijs vmbilicalibus nominatis, non autem per os ipſum. Hæc ergo eſt differentia viarum, ac medij nutritionis ipſius fœ-

Gal. 5. de loc. affect. cap. 3. 7. de anatom. adminiſt. c. 9. de diſſect. venarum cap. 2.

tus ad nutritionem animalis extra vterum viuentis. Differt quoque (vt propoſuimus) iuxta membrum vnde ſibi alimentum allicit; quandoquidem in animali in lucem edito fit attractio è ventriculo ad Hepar, in fœtu autem ab vtero ad iecur ipſius. Quo igitur exquiſitior in fœtu nutritio ſequatur, perfectum expoſcimus alimentum; idque vel ſanguis menſtruus ſit, vel quid aliud. Ad probum verò fœtus gignendum alimentum, duo neceſſario ſupponantur; primum, ſit optima prægnantis mulieris temperies: Alterum, cibaria quibus prægnans ipſa veſci debet, optimi ſint ſucci vnà cum prædictis conditionibus, quas alimentari materiæ antea adſcripſimus, quum de ea loquuti fuimus. His ita concluſis, & ad finem perductis; ſatisfaciendum eſt nunc aliquibus Quæſitis, quæ circa noſtras haſce determinationes oriri ſolent; Quorum vnum, idque primum eſt, cur ſcilicet reperiantur fœces in inteſtinis fœtus in vtero exiſtentis, ac in ventriculo chylus, vel quid chylo perſimile, quum ore nihil ſumat, ſed per venam & arterias dumta-

xat vmbilicales mittatur ab vtero ſanguis iecur ipſius, pro eius nutritione. Circa quod potiſsimum reſponſa comperio: Alterum, quòd per venam vmbilicalem ab vtero demandatur ſanguis ad Hepar fœtus vt alimentum, & ab Hepate ad ventriculum, vt iterum in chylum vertatur; & hanc ob cauſam ibi chylus, & in inteſtinis fœces inueniuntur. Reſponſum hoc (meo quidem iudicio) inane eſt, quia ſi ad fœtum alendum duæ ſolum ſufficiunt coctiones, ſecunda nimirum & quæ tertia dicuntur, ad quid primam addere, quum non indigeat hac fœtus ipſe, addatur etenim prima, quam allegit Reſponſum quòd in ventriculo fœtus conficiatur chylus; ſuperuacanea certè eſt chylificatio hæc, quæ iam in ventriculo matris confecta fuit. At ſi quis arguat, ergo nec ſecunda concoctio indiget fœtus, quæ fit in Hepate, ſi genitus eſt iam ſanguis qui coctione ſecunda in Hepate matris confectus fuit. Paucis dicam, quòd etſi ſit in Hepate prægnantis ſecunda concoctio celebrata, nequit adhuc materia illa concocta nutritioni fœtus accommodari, ni priuſi vterio-

rem perfectionem in Huius Hepate recipiat; adeoquòd concoctio in Hepate fœtus, non est secunda dicenda, sed perfectio quædam secundæ concoctionis, quæ citra vllam concoctionem in ventriculo fœtus ad hunc nutriendum sufficit. Alterum responsum ad Quæsitum habemus, ab oculatissimo doctissimoque anatomico, ac corporum dissectore Iulio Cesare Arantio Bononiensi in suo quodam commentariolo, quem de Humano fœtu inscribit. Responsum iuquam adeo pulchrum & ad mentem Galeni existimatur, quamuis Montanus in suo de fœcibus libello idem tetigisse videatur. Est igitur huiusmodi. In Hepate fœtus qui est in vtero, fit cõcoctio vel sanguinis elaboratio; cuius puriorem partem Caua attrahit, alteram verò crassior ad Lienem transmittitur, bilisque in chisti fellis reconditur: quod verò reliquum est veluti excrementũ, per portæ ramos, mesaraicas scilicet expellit, sique succulenti aliquid adhuc sit relictum, illud pro intestinorum nutritione, faciet; quod verò excrementum est, per earum venarum oscula, in internum intestinorum spa-

tium

tium hiantia effundunt, ibique vsque ad exitum in lucem seruatur. Sed huius responsum nondum mihi pœnitus satisfecit, quum difficultatem auferat de ijs tantum quæ in intestinis continentur, non autem de eo quod in ventriculo creper.tur. Prætereà respondens vir iste grauissimus cuidam tacitæ obiectioni, quæ esse posset: Quare est quod excrementum illud in intestinorum cauitate receptum, spacio vtputa nouem mensium, eadem intestina non vlceret, & abradat, vel quouis alio modo infestet, inquit. His excrementis veluti sanguineis, & mordacitate destitutis intestinorum tunicæ facile resistunt; Quibus verbis obijcere possemus quòd licet eiusmodi excrementum sit vt sanguineum, & praua qualitate destitutum: ibi nihilominus longo temporis interstitio retentum, exiccaretur; Quo postmodum exiccato oritur acrimonia, quæ demum officit intestinis. Quare (salua tanti viri sententia) huic: adderem, quod qui mittitur per ramum venæ portæ sanguis nondum exactissimè elaboratus ad ventriculi fundum pro huius nutritione

id quod est in illo sanguine quoquopacto excrementitium, celebrata confectaque nutritione (veluti singulis enutriendis partibus euenit (illud in capacitatem ipsius ventriculi funditur, ibique continetur vna cum excremento capitis, quod ex hoc per palatum & æsophagum labitur ad ventriculum, & inde pellitur ad intestina. Huius generis excrementum, in se quid Lentoris mollitiei ue continens prohibet in interna intestinorum parte tum siccitatem, tum Mordicationem ipsam, quæ intestinis noxam inducere possent. Ideo Arist. quod ab intestinis statim in lucem æditi exit Papauerculum vocat. Alterum quæsitum est; Vnde fit quòd ex menstruis retentis in vtero gerentibus; nullus oriatur dolor nullaque molestia, sicuti contingit ijs quæ vterogerunt si menstrua supprimantur; namque hæ dolores percipiunt maximos, & angustias quamplurimas patiuntur. Respondetur huic quæsito, quòd ipsis confertim ac impetu quodam sanguis menstruus ad vterum descendens, ibi congeritur, vbi inflationem postea parit, à qua oritur conti-

7. de Hist. animal. cap. x.

nuitatis ſolutio & dolor: nec eſt mirum, quoniam (vt docet Galenus) ad efficiendum dolorem, cauſa requiritur violenta ſuper ſubiectum ſenſibile, quæ alteret ipſum, vel in eo continui ſolutionem efficiat; dolor ſiquidem in fieri, non autem in facto eſſe cauſatur ex eiuſdem Galeni ſententia in libello de inæquali intemperie. In mulieribus verò prægnantibus non ita ſe res habet. In iſtis ad vterum non affatim, ſed ſenſim potius ſanguis ille defluit; cuius deinceps aliqua portio fugitur à fœtu veluti declaratum eſt; quam ob cauſam minor redditur in vtero ſanguinis copia. Amplius in grauidis magna illius portio refluit ad mammas, in quibus pro lacte gignendo ad pueri nutritionem ſeruatur; hinc fit quòd prægnantium mammæ admodum intumeſcant: Poſt hoc, tertium quæſitum inſurgit. Quare ſi per continuum Annum ſingulis ordine diebus, Lac à puero fugatur ſuper quantitatem triũ vnciarum vel quatuor, non moritur ob id Nutrix; quemadmodum proculdubio periret, ſi (ſecta vena) ſanguis quotidie iuxta quantitatem

hanc

hanc per totum id temporis ſpacium e corpore Nutricis mitteretur. Reſponſum erit, rationem parem non eſſe; tum quia Natura collectionem fecit in Lacte de ſuperfluis ac exuberantibus ad mammas, ad quas pariter quid paulatim continuè mittit; retinetque tunc temporis menſtrua dum mulier puero lac præbet; quod etiam per interualla ſuctum non educitur continuata euacuatione, nec impetu quodam, neque vulnere; cuius occaſione reſoluuntur maximè ſpiritus noſtri corporis ſicut per venæ ſectionem contingere ſolet, & potiſsimum, ſi ſanguis, qui, ſecta vena, educitur, ſit in venis ad partes enutriendas reconditus. Hinc notandum eſt quanta ſi inter ſanguinis extractionem ab applicitis hirudinibus, & à venæ ſectione; differentia: In hac etenim maior quam in illa ſit ſpirituum diſſolutio. Iam finem huic opuſculo impoſuiſſemus, ni eſſet oblata nunc occaſio dicendi de Lacte, deque eius conditionibus, prout ipſum eſt alimentum pueri in lucem æditi, ne videamur ea quæ neceſſaria ſunt prætermiſiſſe. Loquuti ſumus de Nutritione Corporis

Humani,

Humani, & fœtus in vtero gestati: necesse erat adhuc de Nutritione pueri nuper nati sermonem habere, hoc est de alimentari materia quæ puero competit, quod Lac appellatur. conuenit id, authore Galeno, tertio de sympt. causis cap. tertio hunc in modum scribente. Iam verò Quibus humidius est corpus, ea quæ nutritura id sunt, humidiora postulat; sed puerorum corpora humidiora, pariterque Lac humidius esse in confesso est apud omnes. Lactis ergo conditiones, & notæ, à duobus potissimum desumuntur: à substantia, & à colore. Substantia lactis media sit inter eam quæ crassior est atque tenuior: Hæc, serositatem in Lacte nimiam esse demonstrat, minusque nutrit, & aluum nimis subdit; vel morbus aliquis eam sequitur, sicuti sunt aphtæ.i. oris vlcera: vel in prauum succum necessario vertitur, aut alium quépiam gignit affectum: De his Hipp. & Galenus in tertio aphorismorum apho rismo trigesimo secundo multa scriptis mandarunt. Crassior autem, magis nutrit, minusque deijcit aluum, ae obstructiones parit. Ad huius cognitionem

Gal. 1. de sanit. tuen.

Gal. 3. de sanit. tuenda c. 15. 3. de facult. simpl. alimen. cap. 15.

Gal. ibidem.

nem maximopere facit, si ipsum in vnguem instillatum, eo inclinato ad lucem, neque subito neque tardè videtur defluere. De colore, id solum dicamus, quòd color albus declinans ad crinei tium in concoctione rei alicuius iam rubei coloris existentis indicat rem illam probè decoctam. Lac igitur ex sanguine per concoctionem gignitur; coloris itaque albi esse oportet pro pierulo, exactè enutriendo. De lactis odore, ac eiusdem sapore, vt de rebus pauci momenti nil dicam. Sufficiant hæc omnia nobis de Nutritione prolata, si hoc vnum addatur quòd lac matris melius est alio lacte dummodo ipsa egra non sit. At si Nutricis lacte vti quandoque cogamur, id erit maximè cauendum, ne lac vitiosi succi sit. Nam tantum abest quòd Lac vitiosum ad succum probum gignendum conferat, vt videre est apud Galenum, tertio de facult. simpl. aliment. cap. 15. quòd immo qui eo vtuntur cacochimos reddat. Cui rei argumento fuit is infans, qui cum (priore nutrice mortua) alterius nutricis lac suxisset, totum corpus vlceribus habuit refertum. Vtebatur autem

Gal. 16. de vsu partium cap. x.

Gal. 1. de sanit. tuenda c. 7.

autem ſecunda hęc nutrix in agro ſilue ſtribus oleribus propter annonæ caritatem, quæ veris tempore acciderat. Vnde & ipſa multis vlceribus ſcatuit, & alij quidam, qui in eodem agro ſimili victu ſunt vſi, vidimus & alijs permultis mulieribus infantes nutrientibus id tęporis idem accidere. Quo nihil clarius à Galeno deſcribi poterat. Nos vero de Nutrice dicamus.

Qualis eligenda ſit nutrix.

Cap. VX.

NEceſsitate igitur compellimur interdum ne pereat puellulus, quia mater ipſius ægrota eſt; vel hæc, aliquam ob cauſam impedita, lac ei præbere nequit; ſiue munus id obire egrefert, ad eligendam nutricem cellerime confugere. De qua quidem plura eſſem dicturus, ni Paulus qui dicitur Aegineta de hac vberrime ſcripſiſſet in primo ſui operis de re medica volumine. Eorum, quæ ad Hanc ſpectant, maiorem partę tribus ijſque primis ordine capitibus com-

comprehendens : maiorem dixi partem, quia id quod reliquum est agendum, alio capite alterius voluminis præcipit. Vbi quæcunque tradidit, hic ad communem omnium vtilitatem recensere minimè grauabor : Nam id prætermittere non licet. Primo itaque nutricem eligendam esse consulit, quæ morbosa non sit, sed secunda valetudine perfruatur; cuius ætas supra quinque & viginti annos cõsistat, quintum verò annum cum trigesimo ne transcendat. Corpore sit quãdrato, idest nec nimium obeso nec supra modum gracili. Pectus eiusdem sit amplum vnà cum mammis magnis, quarum papilli neque conniuentes sint neque auersi. Adhæc, infanti admodum confert nutrix si multum non distet à partu, magisque si masculum peperit. Fugiat valde siccantia, salsa, acria, acerba, acida, amara, & quæ valenter calefaciunt. Item odores tum fœtidi, tum suaues nimium, vitandi : condimenta, aliaque acria nocent. Prætera, procul sit à nutriee venus : texendi artem profiteatur nutrix. Mox, trina ponit ingenia paulus; quibus lac optimum

timum dignoſcatur; quæ ſunt educenda ex moderata lactis ſpiſsitudine, copia, colore odore & guſtu. Alterum ingenium ab eodem enarratum, eſt; ſi in vnguem pollicis inſtillatum Lac &c. Tertium, inutile erit lac ſi in vitreum vas infuſum (adiecto coaguli modico) digitis agitatum maiori ex parte in caſeum vertatur: huic autem aduerſum, concoctu difficilius: probatiſsimum quod extrema non excedit. Amplius, Lactis vitia quomodo corrigantur edocuit. Tres autem ſcopi ſunt à quibus Lac vitiatum ſumi deſcripſit: A ſubſtantia: Qualitate: & Quantitate. A ſubſtantia, ſi craſsius, fuerit, potuitam vomitu ejiciendam eſſe iubet; quod optimè præſtat epotum oximel: labores cibum præcedentes eadem extenuant: Eo temporis in cibo laudantur origanum, hyſſopum, ſatureia, ſcandix, & timus: ad hoc facit radicula exigua, vetuſque ſalſamentum cum oximellite. A Qualitate ſimul & ſubſtantia, ſi acrius, tenuiuſque lac euaſerit, multis quidem tunc laboribus leuandam eſſe nutricem admonet; quæ ſorbitionibus, & carnibus ſuillis, ſapæque

que & dulcis vini potu vtatur. A Quantitate, si lac diminutum fuerit, sorbitiones copiosæ sumendæ sunt, ac vinum dulce epotet. Pectus & mammillæ perfricandæ sunt: Nonnullis cucurbitula quoque defixa abunde proficit. Pharmaca, licet ad lac generandum conferant, nihilominus frequentem eorum vsum vituperat. Ad caseatum lac præsidia docuit in 35. capite tertij voluminis. Ex lacte coagulato ad casei modum, in mammillis oriuntur inflammationes. Ad has initio conducunt arcendas mollis spongia posca egelida imbuta & expressa, mammis appositæ: si verò lac in grumos vertatur, panem ex hidreleo & mulso superponito. Interea temporis ne lactet nutrix omnino prohibet ad euitandam maiorem materiæ fluxionem. In morbi declinatione summopere iuuat beta oleo decocta, qua postmodum proiecta, oleo ceræ modicum sit adiunctum Mammillarum duritias aufert mel, & quæcunque vim molliendi habentia. Tumor in abscessum versus curatur ij quæ in Parotidibus descripta sunt. Isthæc sunt à Paulo prolata. Galenus

quoque

quoque de Nutrice tractasse comperimus in primo: sanitatis tuendæ libro cap. 9. Habent verò se eius verba ad hunc modum. In primisque de Nutrice ipsa non minimam habendam esse curam censeo quid edat, quid bibat, quo pacto in somno, venere, exercitatione se habeat: vt videlicet lac eius egregie sit temperatum, quale erit, si sanguis eius quam optimus sit: porro is talis est qui nec flaua abundat bile, nec atra, nec pituitosus est, nec serosus, nec aquoso liquore permixtus. Nascitur autem eiusmodi sanguis ab exercitatione moderata, & cibis tum boni succi, tum iusto tempore modoque assumptis, præterea potione tempestiua modicèque sumpta. De quibus omnibus in his quæ post dicentur, diligenter agetur. A venere omnino abstinendum esse quæcunque lac præbet moneo. Nam & menses viri consuetudine prouocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat. Quin etiam aliquæ in vtero concipiunt, quo nocentius puello adhuc lactenti nihil est. Interim.n. quicquid sanguinis est optimum in fœtum absumi-

tur. Quippe is quum proprium in ſe vitæ principium contineat, & huius moderamine agitur, & aſsiduè conueniens ſibi alimentum trahit vtero ipſi, veluti radici adhærens, nec vſquam ab eo nocte die uè diſcedens. Interim verò non minor modo, verumetiam deterior rationabiliter redditur ipſius grauidæ ſanguis: Quo fit, vt Lac ipſum tum peius, tum vero exiguum in mammillis colligatur. Quare, ſi quæ infantem lactat, vterum gerit, ego magnopere ſuaſerim aliam inueniendam nutricem. Cuius etiam Lac guſtu, odoratu, viſu conſiderandum, explorandumque diligenter ſit. Siquidem quod optimum eſt, id guſtanti, olfacientique planè ſuauè, intuenti candidum æquabile, ac liquidi craſsique medium apparebit. Quod vitioſum eſt, è, diuerſo aut craſſum & caſeoſum, aut liquidum & ſeroſum ac liuidum, tum conſiſtentia ipſa coloreque inequabile videbitur. Idem guſtantibus amorem, aut falſedinem, aut qualitatem quampiam extraneam exhibebit: tale vero nec olfacienti ſuaue erit. Atque lactis probi,

bi, improbique ſunto indicia; quæ conjectans, quum mater aut iam concepit, aut morbo aliquo eſt affecta, ad aliamque nutricem tranſire eſt neceſſarium, lactis indicium atque electionem facere quis poterit. Quibus Galeni verbis noſtrum ſermonem claudamus.

FINIS.

Regiſtrum.

† A B C D E F G H I K L.

Omnes ſunt Quaterniones
& L eſt duernio.